ia

20 cent —

1851. I. 13.

OCTAVA
SACRATISSIMI CORPORIS CHRISTI
IN
ANNUM INTEGRUN DISPOSITA.
SIVE
MODUS
Visitandi
SANCTISSIMUM SACRAMENTUM
Tum per Octavam Corporis Christi,
Tum per Totum Annum.
Olim Polonico Idiomate
PER REVERENDISSIMUM
JACOBUM PAULUM RADLINSKI
S. TH. D. ORDINIS CANONICORUM
SACROSANCTI SEPULCHRI DOMINI
PRÆPOSITUM GENERALEM
INFULATUM
PROPOSITUS,
Nunc vero,
PER JACOBUM BARANKIEWICZ,
Nuper S. Th. Professorem, hodie Chełmen: Eccles
RECTOREM,
In idioma Latinum
ADDITIS ACTIBUS AD SACRAM COMMUNIONEM CONVENIENTIBUS,
TRANSLATUS.

IMPRIMATUR.

M. Paulus POLACZEK S. Theologiæ Profeſſor, Canonicus ad S. FLORIANUM, Librorum Typographiæ *Celſiſſimi Principis Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Domini D.* ANDREÆ STANISLAI KOSTKA in Załuſkie ZAŁUSKI Epiſcopi Cracov: DUCIS Severiæ Equitis Aquilæ Albæ Ordinarius Cenſor.

Datum Cracoviæ in Collegio Majori. Die 15. Aprilis Annô Domini. 1758.

APPROBATIO ORDINIS.

LIbrum cui titulus: OCTAVA SACRATISSIMI CORPORIS CHRISTI ab Admod: Rñdo Patre Jacobo Barankiewicz Canonico Ordinis Nostri nuper S. Theol. elaborato Professore, nunc autem Rectore Ecclesiæ Chełmensis ex Polonica lingua in Latinam translatum, diligentissimè legi, & quoniam nihil Fidei Sanctæ & moribus contrarium retinet, & Actus devotissimos ad S. Communionem ab eodem Authore

ſuperadditos proponit, imòpromovet cultum Sanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti, ideo typis dignum cenſeo, ſi Illis ad quos pertinet, ita videbitur. Datum in Conventu Generali Miechovienſi Die 29. Decembris A. D. 1757*mo*.

Jacobus Radliński S. Th. Dr. Ordinis Canonicorum Regularium Cuſtodum Ssm̃i Hieroſolymitani Sepulchri Præpoſitus Generalis.
mpp.

PRÆFATIO
Ad Lectorem.

SIcut principalis finis eſt Ordinis & Inſtituti noſtri, in dies promovere, & augere, cultum & gloriam Sacroſancti Sepulchri Salvatoris Domini noſtri JESU CHRISTI, ita idem finis eſt promovere cultum honorem & gloriam Ssm̄i Sacramenti. Sicut enim ex primo Inſtituto noſtro habemus obligationem ampliare honorem Sepulchri Chriſti, ita ſimili modo, adinvenitur in Ordine Noſtro ſpecialis relatio ad augendam gloriam Ssm̄i Sacramenti.

Quando enim Chriſtus Dominus poſt reſurrectionem ſuam, aſcendit in Cælum, tunc Sancti Apoſtoli & omnes alii Diſcipuli Chriſti Domini, imo & ipſa Sanctiſſima Virgo MARIA, cum aliis Sanctis mulieribus & fratribus ſuis reverſi ſunt Jeroſolymam, & ingreſſi illud Cænaculum, in quo Chriſtus Dominus fecit ultimam Cænam Diſcipulis ſuis, & inſtituit Sacramentum Corporis & Sanguinis ſui, & ibi perſeverabant omnes in oratione. Deinde, dum erat inter ſe unanimis diviſio Jeroſolymis Apoſtolorum in varias partes mundi ad prædicandum Chriſti Evangelium, tunc præfatum Cænaculum

culum

culum, in Ecclesiam Consecrârunt, & ad illam S. Jacobum Apostolum primum Episcopum Hierosolymitanum locaverunt. A quo primam originem Ordo Noster sumit & ducit. Prima itaque Ecclesia Novi Testamenti erat Cænaculum, in quo Dominus JESUS instituit Sacramentum Corporis & Sangvinis sui, & penes hoc non quicunque alius, sed ipse S. Jacobus Minor Episcopus Hierosolymitanus Patriarcha Ordinis Nostri unà cum Filiis suis spiritualibus permansit. Sicut ergo S. Jacobus Patriarcha Ordinis Nostri manens ad Ecclesiam consecratam de Cænaculo, ex ultima Cæna Christi & insti-

tutione Sanctissimi Sacramenti claro concepit imutabiliter animum, & zelum venerandi Sanctissimum Sacramentum, quia ibidem primariò illô cum cæteris Apostolis refectus fuit; sic nos generatione spirituali ab illo procedentes, habemus specialem relationem, ad augendum honorem Sanctissimi Sacramenti: quæ enim Pater cum Primoribus Filiis suis libenter & gloriose fecit; illa & subsequentes Filii exequi tenentur. Deinde (uti testatur Petrus Luell in Historia Ordinis Nostri libro cui titulus: *Mausoleum S. Jacobi Apostoli*:) dum post devastatam Jerosolymam, per Vespasianum Cæsarem, rediit pax Jerosolymæ, tunc sicut va-

rii Christiani, ita & Religiosi nostri redierunt Jerosolymam, & in eodem loco, in quo Christus Dominus Sanctissimum Sacramentum instituit, Oratorium sive parvullimam Ecclesiam ædificârunt, unde subintelligo (ait præfatus Petrus Luell) provenit id exinde, quòd hi Religiosi (id est: Canonici Nostri) habeant specialem pietatem, & devotionem erga hoc Sacramentum: Sacerdotum autem hæc est obligatio, ut frequenter de Sanctissimo Sacramento, & qualibet Feria quinta Sacrosancta Missarum Sacrificia celebrarent: Religiosarum vero hæc est obligatio, ut pariter veluti veræ famulæ &

Filiæ Sion frequentius repræſentarentur Regi ſuo. Verba præfati Auctoris recenter de Germanica lingva in latinam expoſita adduco, qui totum librum ſcribens de Ordine Noſtro, ſic ait Cap. 8. *Quam primum autem intellexerunt Hieroſolymam in pace poſitam, denuo de Pella redierunt, & domos ſibi, juxta Euſebium Lib. 3. cap. 5. ædificarunt. In illo vero loco, ubi Chriſtus SS. Sacramentum inſtituerat, & Diſcipuli poſt aſcenſionem ejus plurimum convenerant, Oratorium ſeu Tempellum extruxerunt: ex quo (ut autumo) provenit, ideo hos Religioſos tam ſpecialem devotionem erga hoc SS. Sacramentum habere; Sacerdotibus enim ſæpius*

pius de Venerabili, & omnibus diebus Jovis, nisi aliud Festum impediat, Sacrificium Missæ celebrare demandatum est, Monialibus verò Sanctissimum invisere, ut tanquam veræ servæ & filiæ Sion frequentius coram suo Rege compareant, ejus pulcherrimam faciem, in cujus præsentia corda hominum, uti cera colliquescunt, intueantur, suo sponso uniantur, animam suam hoc cælesti pane reficiant, & Divinæ Majestati suas preces & Sacrificia offerant. His itaque rationibus motus, constitui tradendum esse modum visitandi Sanctissimum Sacramentum, ut exinde secundum voluntatem DEI, in dies crescat quam maxima gloria hujus Sacramenti, honor & cultus in sæcula; & ut antiquus

pri-

primævæ devotionis, erga hoc Sacramentum in Ordine Noſtro fervos in omniū cordibus, quam feliciſſime renovetur creſcat & augeatur. Ad ultimùm, Feſtum Corporis Chriſti in univerſa Eccleſia Dei inſtituit Urbanus IV. de medio Ordinis Noſtri, ad regendam Eccleſiam in Summum Pontificem aſſumptus, qui ſicut hoc Feſtum declaravit, ſic deinde magnas Indulgentias conceſſit ut alliceret populum ad devotionem erga hoc Sacramentum: Ex hac ergo ratione Ordo Noſter, habet magnam & ſpecialem relationem ad promovendum honorem Sanctiſſimi Sacramenti. Concede itaque miſericors JESU, ut huic relationi & obligationi ſatisfaciamus, ut honorem ſicut Sepulchri Tui, ſic & Sſm̄i Sacramenti Corporis & Sanguinis Tui amplicemus, ac tandem vitam æternam conſequamur.

DIES

DIES I.

OCTAVÆ SACRATISSIMI CORPORIS CHRISTI.

VArii varios modos adinvenerunt adorandi Sanctissimum Sacramentum, tam per totum Annum quam per Octavam Corporis Christi: inter quos specialis modus adorandi Sanctissimum Sacramentum, est hic; visitare illud aliquoties de die, exempli gratia: Surgendo mane abjectis omnibûs negotiîs domesticis, adire Ecclesiam in qua conservatur Sanctissimum Sacramentum, & ibi illud visitare. Secundo ante meridiem semotîs omnibûs iterum adire Ecclesiam pro visitando

ſitando Sanctiſſimo Sacramento: idem perficiendum poſt meridiem, ac tandem ſub veſperum. Quod ipſum ut homines facilius exequantur, aſſignantur hìc & ponuntur pro qualibet die, quatuor modi, ſive quatuor Orationes, quibus penes hanc viſitationem uti poſſunt. Prima Oratione utendum eſt penes viſitationem matutinam, alterâ penes viſitationem antemeridianam, tertiâ penes viſitationem poſtmeridianam, quartâ penes viſitationem veſpertinam.

Sed quia plures tales homines ſunt, qui propter ſuas occupationes domeſticas, non poſſunt quatuor vicibus de die adire

adire Ecclesiam ad visitandum Sanctissimum Sacrámentum; itaque præcaveo: quod qui non possit quatuor vicibus adire Ecclesiam, aut comparere coram Altari, in quo per totam Octavam est expositum Sanctissimum Sacramentum; proinde id totum potest adimplere domi, tali modo: Surgens manè, conversus corde, mente & affectu ad illam Ecclesiam, in qua conservatur Sanctissimum Sacramentum, flexîs genibûs, ex his unam orationem potest recitare, quæ sunt ibi positæ. Subsequente meridie, exempli gratia ante prandium, iterum conversus ad eandem Ecclesiam, & flexîs genibûs recitare alteram

Ora-

Orationem ex inferius positis. Hoc ipsum faciendum est post meridiem & sub vesperum. Ad extremum, si cuipiam & id difficile videretur, tunc potest de mane omnes quatuor orationes, pro una die assignatas simul recitare: hâc intentione, quia vult per præfatas orationes, quatuor vicibus de die visitare Sanctissimum Sacramentum.

Et si quis ita esset impeditus negotiis, ut ex his orationibus quatuor, hîc pro eadem diè positis non possit recitare, tunc illi dico: saltim faciat sic: Surgens manè convertat se ad Ecclesiam in qua est Sanctissimum Sacramentum, & flexîs genibûs, dicat quinque vicibus

aut

aut tribus, ad ultimùm ſaltim ſemel hæc verba: *Laudetur Sanctiſſimum Sacramentum, nunc & ſemper & in ſæcula ſæculorum Amen.* Id ipſum faciat ante meridiem, poſt meridiem, & ſub veſperum, tunc & ſic in ſuo labore & intentione non falletur. Quinimo conceſſas ſuper illa præfata verba lucrabitur indulgentias. Hôc pro informatione poſitô, apponuntur ſimul quatuor modi, ſive orationes ad viſitandum Sanctiſſimum Sacramentum convenientes, & primò, pro prima die Corporis Chriſti.

MODUS I.

Visitandi Sanctissimum Sacramentum per actum fidei die primâ Octavæ.

SOlidissima petra, & firmum fidei fundamentum Christe JESU, compareo hodierna die coram immensa Majestate Tua, & Te hîc præsentem sub speciebus panis, quàm humillime adoro, & visito. Credo fide firma propter unicam infallibilem veritatem Tuam, quod sub speciebus panis & vini, verus DEUS & Homo existas absconditus. Credo quod in Sanctissimo Sacramento, inveniatur verum Corpus, & Sanguis Tuus. Credo quod licet in hoc Sacramento inveniantur accidentia panis: rotundi-

tunditas, albedo, ſapor, & aliæ circumſtantiæ, attamen ibidem nullô modô inveniatur ſubſtantia panis. Credo, quod in Ssmo Sacramento, ſit vera tranſubſtantiatio panis in Corpus Chriſti, & vera tranſubſtantiatio vini in Sangvinem Ejus. Et hæc tuanſubſtantio, non fit naturali ſed ſupernaturali modo; hoc eſt: potentia, poteſtate, & voluntate Omnipotentiæ Divinæ concurrentis ad verba Sacerdotum, quibûs illi ſub tempus, & in momento conſecrationis uti conſveverunt. Credo & illud, quod licet in hoc Sacramento, frangantur accidentia panis, & dividantur accidentia vini, attamen

Sanctissimum Corpus JESU, sub his accidentibus existens, integrum, & intactum persistit. Quandocunque verò franguntur, aut dividuntur præfata accidentia, tamen sub qualibet parte, particella, & fragmento, invenitur verum Corpus, & Sangvis Christi sine ullo suo detrimento, aut diminutione, ita ut sub minutissima etiam paticella fracta, in consecrata per Sacerdotem Hostia totus inveniatur Christus DEUS & Homo, totum Corpus & integer Sangvis Ejus. Credo & hoc: quod licet accidentia panis sint limitata, & terminentur, attamen Divinitas Christi non clauditur, nec terminatur

his

his limitibus, ſed eſt ibi immenſa, illimitata, & infinita. Simili modo & aliæ perfectiones Divinitatis Chriſti non habent ibidem ullum detrimentum, diminutionem, alterationem aut aliquam mutationem, ſed omnes cauſant ſuos effectus. Et propterea licet Chriſtus ſub præfatis accidentibus exiſtat abſconditus, attamen ibi dirigit & gubernat totum orbem; juſtis tribuit cælum, injuſtis infernum, pœnitentes & contritos recipit ad gratiam, iiſdem peccata dimittit, & ſuam præſtat miſericordiam, impœnitentes uſque in finem rejicit à gratia ſua, & indignos demonſtrat tanto Sacramento.

Denique credo id totum quidquid credit Sancta Romana Ecclesia Catholica, de hoc Sacramento, & ad credendum proponit, & in hac fide mea vivere & mori desidero, cum hac fide mea, gratias Tibi ago gratiosissime JESU, pro institutione SSmi Sacramenti, gratias Tibi ago pro institutione Festi SSmi Corporis, & Sangvinis Tui Sanctissimi, gratias Tibi ago pro omni gloria, honore, adoratione, quam habes per universum orbem in Sanctissimo Sacramento. Gratulor Tibi hanc omnem gloriam & honorem, & rogo Te humillime, per hanc gloriam Tuam, & per humillimam prostrationem in Faciem

ciem Tuam Sanctissimam, in horto Getsemani, confirma me in fide Tua, usque ad finem vitæ meæ.

MODUS II.

Visitandi Sanctissimum Sacramentum ante meridiem, per actum spei eadem die prima.

O Altissima & infallibilis omnium ad Te confugientium spes, latens in Sanctissimo Sacramento DEUS, & Homo, compareo hodie coram immensa Majestate Tua, & Te hic præsentem sub speciebus panis, quàm humillimè adoro, & visito. Firmissimè spero in misericordia Tua, & in ipsa infinita, ineffabili & incomprehensi-

hensibili bonitate tua, quod quemadmodum hoc Sacramentum Corporis & Sanguinis Tui constituisti in salutem meam, ita addes tantum gratiæ, adjutorii, & mediorum ad id, ut præfatô Sacramentô semper utar ad gloriam Tui, & salutem animæ meæ. Promeruerunt certè quotidiana peccata mea & hactenus promerentur ut hoc priver Sacramento penes mortem & agoniam meam: sed quia major est Tua misericordia, quàm peccata mea, propterea confido firmiter, quòd sicut in tota vita mea ita in morte, & agonia mea dignaberis me reficere Sacratissimo Corpore, & Sanguine Tuo.

Si verò quandoque indignè

accessi ad tantum Sacramentum, & non ita paratus sicut oportebat, sed Illud aut negligenter, aut tepide, aut frigido spiritu suscepi, & hinc non despero, sed infallibilem habeo spem, quod istas omnes negligentias, frigiditates, & tepiditates spiritus mei, in susceptione Sanctissimi Sacramenti Corporis Tui, multò magis omnia peccata totius vitæ meæ, remittere mihi dignaberis. Ut autem hanc spem meam singulariter in hora mortis non amittam, rogo Te mi JESU, per horrendam captivitatem tuam, adjuva me gratiâ tuâ, ut cum Sancto Propheta possim se-

cure dicere: *In Te Domine speravi non confundar in æternum.*

MODUS III.

Visitandi Sanctissimum Sacramentum post meridiem, per actum amoris Divini eadem die prima.

AMantissime Amor meus, latens in Sanctissimo Sacramento JESU, compareo hodierna die, & Te hic præsentem sub speciebus panis quàm humillimè adoro, & visito. Et sicut Tu amor mi JESU, cum dilexisses, fideles se vos tuos, sic usq; in finem dilexisti eos: & in signum dilectionis Tuæ, transiturus de hoc mundo, ad Patrem Æternum, constituisti mirabile Sacramentum Corpo-

ris,

ris, & Sangvinis tui, itaq; & ego regratificando infinitam dilectionem & amorem tuum erga me, quantum possum cum gratia Tua, tantum Te amo DEUM meum; & hanc hodiernam visitationem, non propter necessitatem temporalem, non propter obtinendum aliquem fructum, aut utilitatem meam, sed propter unicum amorem tuum exhibeo, & sic semper exhibere desidero. O anima mea si habes angustum habitaculum corporis tui, dilata saltim illud, & amplies sicut potes mansionem amoris, id est: cor tuum, ut illo quam ardentissimè ames amantem Te, in Sacramento DEUM, Si enim infan-

infantes, amant Matres exinde, quia illos uberibus ſuis alunt, ſi irrationabiles volatilium pulli diligunt parentes ſuos, à quibus aluntur, multo magis anima mea debes amare DEUM Tuum, in Sanctiſſimo Sacramento latentem.

Quis enim te melius nutrit, quis te efficacius refocillat, quis te benignius potat? Si non JESUS in Sanctiſſimo Sacramento latens. Prævidit longè hunc amorem imperceptibilem Propheta Domini, & ideo omnibus totius orbis gentibus inculcat: *guſtate & videte, quam ſvavis & mitis eſt Dominus*, Et ubi ſecurius, confidentius, & frequentius, poſſumus guſtare,

&

& videre amorem, jucunditatem & gratiam tuam ô JESU? si non in Sanctissimo Sacramento Corporis & Sangvinis Tui! ubi æqualiter Pauperes ac divites, dignos ac contemptos, justos ac pœnitentes misericorditer suscipis, ubi quotidie es præsens, & quodammodo nos expectas, sub speciebus panis, ut ad Te curramus, ad Te confugiamus, ut tuam mensam frequentius adeamus. O dilectissime super omnes creaturas JESU! rogo Te per Sangvineum sudorem, in horto Getsemani effusum, instrue me, quomodo & qualiter Te amare debeam?

MODUS IV.

Visitandi Sanctissimum Sacramentum Vespere per affectum admirationis.

MIrabilis in Sanctiſſimo Sacramento DEUS, Chriſte JESU, compareo hodierna die coram immensa Majeſtate tua, & Te hîc præſentem ſub ſpeciebus panis cum ſumma admiratione viſito.

Quis enim non miraretur, quis non obſtupeſceret? inſpiciendo tam admirabile opus Sacramenti hujus, revolvens mente tam magna miracula in hoc Sacramento contenta. In hoc enim ſummo & ineffabili Myſterio, per quod VERBUM

BUM æternum Caro factum est, istud est alterum opus Omnipotentiæ DEI, in quo substantia panis transmutatur in substantiam Corporis Christi virtute Divina ad verba Sacerdotum. In hoc Sacramento DEUS incomprehensibilis, illimitatus, infinitus: existit circumdatus accidentibus panis, hîc DEUS indivisibilis dividitur, & dividit se omnibus, in particellis divisibilibus consecratæ Hostiæ, hîc DEUS incorruptibilis, corruptibilibus panis contegitur accidentibus, hîc DEUS, cælum, terram, & omnes abyssos implens, circumdans, possidens, & scrutans, in unico minutissimo, pauperrimo, & sibi im-

pari clauditur Ciborio: hîc DEUS ſubſtantia increata, ſubſtantia altiſſima, digniſſima, excellentiſſima: creata, vilia, & nullum habentia pretium ſuſcipit accidentia; hîc DEUS unô verbo cælum firmans, ad pauca aliqua verba Sacerdotis de cælo deſcendit: hîc DEUS cælum & terram gubernans, gubernandum ſe quodammodo tradit, & concedit, quando ſecundùm voluntatem Sacerdotis, ad quemlibet vadit, cuilibet quamvis indigno ſe porrigendum permittit. Hîc DEUS æternus ad tempus tantum in conſecrata permanet hoſtia: hîc DEUS ex omni parte liber, alligatus quodammodo accidenti-

dentibus panis existit; siquidem sub illis hucusq́; tantū permanet, quousq́; & illa permanent. Hîc DEus ineffabiliter justus, & maximos peccatores non judicat in instanti, neq́; punit, sed expectat misericorditer illorum emendationem. Hîc DEus cælum stellis, terram floribus, sylvas arboribus, maria unionibus adornans, ipse nullum decorem, splendorem, & apparentiam habet, sed omnem Majestatem suam mirabiliter contegit & abscondit. Hîc DEUS super omnia dives & fons divitiarum omnium, fit egenus & pauper, & aliena habet tantum accidentia. Hîc DEUS Archangelis, Angelis, Seraphinis, Thro-

nis, Poteſtatibus, & ipſi inferno terribilis, nullũ in accedentibus cauſat terrorem, ſed illos charitate, gratia & bonitate ad ſe trahit. O mirabilia ſuper mirabilia! quis unquam cogitare potuit, ut DEUS altiſſimus, ſub viliſſima panis & vini valeat cadere accidentia? admiramini cæli ſuper hoc, & DEUM mirabilem in Sanctiſſimo Sacramento, mecum glorificate, adorate, & depredicate. JESU in Sanctiſſimo Sacramento admirationis plene, rogo Te, per illos contemptus, quos perpeſſus es, dum ex horto Getſemani ducebaris ad Principes Sacerdotum, concede mihi, ut

cogno-

cognoſcam & concipiam mirabilia, in hoc Sacramento abſcondita.

PROCESSIO CORPORIS CHRISTI
SIVE
Modus peragendæ Proceſſionis.

QUando in Feſto Corporis Chriſti, aut infra Octavam ejuſdem Feſti peragenda eſt præfata Proceſſio, tunc in variis Palatiis, Civitatibus & villis, eriguntur Altaria quatuor, ad quæ dirigitur Proceſſio, ubi Prælatus ſolennizans Ssm̃um Sacramentum collocat, & deponit. Ut igitur præfata proceſſio poſſit devotius ab omni populo abſol-

vi, porrigitur modus, quid ſit dicendum, procedendo ad quodvis ſeorſivè Altare; deinde dabitur modus, quid ſit item dicendum, comparendo, coram quolibet ſeorſivè Altari.

ALTARE I.

Exeundo ex Eccleſia ad primum Altare, dici poteſt ſequens Lectio per viam.

Lectio S. Pauli ex Epiſtola II. ad Corinthios Cap. XI.

FRatres: convenientibus vobis in unum, jam non eſt Dominicam Cænam manducare. Unuſquiſque enim ſuam cænam præſumit ad manducandum. Et alius quidem eſurit,

ſurit, alius autem ebrius eſt. Nunquid domos non habetis ad manducandum & bibendum? aut Eccleſiam DEI contemnitis, & confunditis eos, qui non habent? Quid dicam vobis? laudo vos? in hoc non laudo. Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis, quoniam Dominus JESUS, in qua nocte tradebatur, accepit panem; & gratias agens fregit, & dixit: accipite & manducate: hoc eſt Corpus meum quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter & Calicem poſtquam cænavit; dicens: Hic Calix novum Teſtamentum eſt in meo Sangvine. Hoc facite

quotiescunque bibetis iu meam commemorationem. Quotiescunq; enim manducabitis panem hunc, & calicē bibetis, mortem Domini annuntiabiti, donec veniat. Itaq; quicunq; manducaverit panem hunc, vel biberit Calicem Domini indignè: reus erit Corporis & Sangvinis Domini. Probet autem se ipsum homo: & sic de pane illo edat & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit, non dijudicans Corpus Domini. Ideo inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi. Quodsi nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur. Dum judicamur

camur autem, à Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur.

ORATIO.

DOmine JESU Christe, qui in memoriam Tui jussisti Apostolos Tuos, & nos omnes eorum successores frui Sanctissimo Corpore & Sangvine Tuo; concede quæsumus, ut omnes, qui memoriam hujus Sacramenti recolimus, nosmetipsos probemus, & qua par est, nos semper præparemus ad sumendum tam eminentem, & pretiosum cibum. Qui vivis & regnas cum DEO Patre, in unitate Spiritûs S. DEUS in sæcula sæculorum Amen.

Si verò hæc via ad primum Altare fuerit longior & remotior,

tunc per illam poterit quisque recitare Psalmos de Sanctissimo Sacramento, inferiùs positos; aut Hymnum: Lauda Sion Salvatorem.

STATIO I.

Ad primum Altare

Hic dicendum Evangelium sequens.

Initium Sancti Evangelii secundum Mathæum.

LIber Generationis JESU Christi, Filii David, Filii Abraham. Abraham genuit Isaac, Isaac autem genuit Jacob: Jacob autem genuit Judam, & Fratres ejus. Judas autem genuit Phares, & Zamar de Thamar. Phares autem genuit Esron. Esron autem genuit Aram: Aram autem genu-

it

it Aminadab. Aminadab autem genuit Naasson. Naasson autem genuit Salmon. Salmon autem genuit Booz de Rahab. Booz autem genuit Obed ex Ruth. Obed autem genuit Jesse. Jesse autem genuit David Regem. David autem Rex genuit Salomonem, ex ea quæ fuit Uriæ. Salomon autem genuit Roboam. Roboam autem genuit Abiam. Abias autem genuit Asa. Asa autem genuit Josaphat. Josaphat autem genuit Joram. Joram autem genuit Oziam. Ozias autem genuit Achaz. Achaz autem genuit Ezechiam. Ezechias autem genuit Manassen. Manasses autem genuit Amon. Amon

autem genuit Josiam. Josias autem genuit Jechoniam, & Fratres ejus in transmigratione Babylonis. Et post transmigrationem Babylonis, Jechonias genuit Salathiel. Salathiel autem genuit Zorobabel. Zorobabel autem genuit Abiud. Abiud autem genuit Eliachim. Eliachim autem, genuit Azor. Azor autem genuit Sadoc. Sadoc autem genuit Achim. Achim autem genuit Eliud Eliud autem, genuit Eleazar. Eleazar autem genuit Mathan. Mathan autem genuit Jacob. Jacob autem genuit Joseph, Virum MARIÆ. de qua natus est JESUS, qui vocatur Christus.

ANTIPHONA.

Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocavit multos, & misit servos suos horâ cœnæ dicere invitatis ut venirent, quia jam parata sunt omnia, & cœperunt simul omnes excusare.

ORATIO.

OMnipotens sempiterne DEUS, qui nobis per Unigenitum Filium tuum, Dominum nostrum JESUM Christum, fecisti cænam magnam in Sanctissimo Sacramento Corporis & Sanguinis ejus pretiosissimi, pro nobis effusi, da nobis quæsumus, ut ad tam pretiosam, dignam,, & cælestem

cæ-

cænam vocati, nullis nos temporalibus necessitatibus ab illa excusemus, sed semper ad illam, totâ animâ, affectu & corde properemus. Per Eundem Dominum nostrum JESUM Christum, qui tecum vivit & regnat in unitate spiritûs S. DEUS per omnia sæcula sæculorum, Amen.

ALTARE II.

Procedendo ad hoc secundum Altare dicenda est sequens Lectio.

Lectio S. Augustini Tract. XXVI. in Joannem sub finem.

CUm cibo, & potu id appetant homines, ut neque esuriant neq; sitiant: hoc veraciter non præstat, nisi iste cibus & potus, qui eos, à quibus sumitur, immor-

mortales, & incorruptibiles facit; id est societas ipsa Sanctorũ: ubi pax erit, & unitas plena atq; perfecta. Propterea quippe, sicut etiam ante nos hoc intellexerunt homines DEI, Dominus noster JEsus Christus Corpus & Sangvinem suum in eis rebus commendavit, quæ ad unum aliquid rediguntur ex multis. Namq; aliud in unum ex multis granis conficitur: aliud in unum ex multis acinis confluit. Denique jam exponit quomodo id fiat, quod loquitur: & quid sit manducare Corpus ejus, & Sangvinem bibere. Qui manducat meam carnem, & bibit meum Sanguinem, in me manet, & ego in illo

Hoc eſt ergo manducare illam eſcam, & illum bibere potum, in Chriſto manere, & illum manentem in ſe habere. Ac per hoc, qui non manet in Chriſto, & in quo non manet Chriſtus, procul dubio nec manducat ſpiritaliter carnem ejus, nec bibit ejus Sangvinem, licet carnaliter & viſibiliter premat dentibus Sacramentum Corporis & Sauguinis Chriſti: ſed magis tantæ rei Sacramentum ad judicium ſibi manducat, & bibit, quia immundus præſumpſit ad Chriſti accedere Sacramenta, quæ aliquis non digne ſumit, niſi qui mundus eſt; de quibus dicitur: Beati mundo corde, quoniam ipſi DEUM videbunt. ORA-

ORATIO.

DOmine JESU Christe, qui per cibum Corporis tui, & potum Sangvinis tui efficis nos immortales, & incorruptibiles, da nobis quæsumus: ut sumendo hæc tua dona, efficiamur immortales, & incorruptibiles. Qui vivis & regnas in sæcula sæculorum, Amen.

Si & hîc esset remotior via ad secundum Altare, tunc per illam potest recitari corona inferiùs posita.

STATIO II.

Coram secundo Altari. Hîc dicendum est Evangelium Sequens.

Initium Sancti Evangelii secundum Marcum.

Initi

INitium Sancti Evangelii JESU Christi Filii DEI. sicut scriptum est in Isaia Propheta (Ecce mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te) vox clamantis in deserto. Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus. Fuit Joannes in deserto baptisans & prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. Et egrediebatur ad eum omnis Judeæ Regio & Jerosolymitæ universi, & baptisabantur ab illo in Jordanis flumine, confitentes peccata sua. Et erat Joannes vestitus pilis cameli, & zona pellicea circa lumbos ejus, & locustas & mel sylvestre edebat.

bat. Et prædicabat dicens: veniet fortior me post me, cujus non sum dignus procumbens solvere corrigiam calceamentorum ejus. Ego baptisavi vos aquâ: ille verò baptisabit vos spiritu Sancto.

ANTIPHONA.

Immolabit hædum multitudo Filiorum Israel, & edent carnes & Azymos panes.

ORATIO.

OMnipotens sempiterne DEUS, qui nobis in Altari, novi Testamenti, non jumenta irrationalia, sed verum Cor- & Sangvinem Filii Tui JESU Christi offerre disposuisti, rogamus Te humillimè, ut per tam Sanctam incontaminatam &

immaculatam oblationem, incontaminati fiamus. Per Eundem Dominum noſtrum JESUM Chriſtum, qui Tecum vivit & regnat in unitate Spiritûs S. DEUS in ſæcula ſæculorum. Amen.

ALTARE III.

Eundo ad hoc tertium Altare dicenda eſt ſequens Lectio.

Lectio Sancti Cyrilli Epiſcopi Jeroſolymitani.

IPſa Beati Pauli doctrina abunde ſufficere videtur, ut certam nobis dedivinis myſteriis fidem faciat, quibus digni redditi, concorporei, ut ita dicam, & conſangvinei Chriſti facti eſtis. Ipſe

enim modò clamabat, quod in nocte qua tradebatur Dominus noster JESUS Christus, accipiens panem, & gratias agens fregit, & dedit Discipulis suis dicens: Accipite & manducate: hoc est Corpus meum. Et accipiens Calicem, & gratias agens, dixit: Accipite & bibite: hic est Sangvis meus. Cum igitur ipse de pane pronuntiaverit ac dixerit: Hoc est Corpus meum: quis audebit deinceps ambigere? & cum idem ipse tam asseveranter dixerit: Hic est Sanguis meus: quis unquam dubitaverit, ut dicat, non esse ejus Sangvinem?

Aquam olim in vinum convertit in Cana Galilææ, quod

habet quandam cum Sangvine propinquitatem: & eum parum dignum existimabimus, cui credamus, quòd vinum in sangvinem transmutârit? Ad eas nuptias, quibus corpora copulantur, vocatus, præter opinionem omnium hoc fecit miraculum: & non multò magis sic eum Corpus & sangvinem suum fruenda nobis donâsse persvasum firmiter habebimus, ut ea cum omni certitudine tanquam corpus ipsius & Sanguinem sumamus? Nam in specie panis dat nobis corpus, & in specie vini dat nobis sangvinem: ut cum sumpseris, gustes corpus & sangvinem Christi, factus ejusdem

corporis & sangvinis particeps. Sic enim efficimur Christiferi, hoc est: Christum in corporibus nostris ferentes, cum corpus ejus & sangvinem in membra nostra recipimus: sic secundum Beatum Petrum Divinæ Naturæ consortes reddimur.

Olim cum Judæis Christus disserens, *Nisi manducaveritis* (*inquit*) *carnem meam, & biberitis meum Sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Cum autem illi, quæ dicta fuerant, non spiritaliter accepissent, offensi abierunt retrò: putabant enim quòd eos ad manducandas carnes hortaretur. Erant & in veteri Testamento panes propositionis: verùm illi cum fue-

rint veteris Testamenti, finem jam acceperunt: in novo verò Testamento panis est cælestis, & calix salutaris, qui & animam, & corpus sanctificant. Quamobrem non sic hæc attendas velim, tamquam sint nudus & simplex panis, nudum & simplex vinum: corpus enim sunt & sangvis Christi. Nam etiam si sensus illud tibi renuntiat, fides tamen te confirmet. Ne judices rem ex gustu: sed te citra ullam dubitationem fides certum reddat, quòd sis dignus factus, qui corporis & sangvinis Ch isti particeps fieres.

ORA-

ORATIO.

OMnipotens sempiterne DEUS, qui nos per Sacramentum corporis & sangvinis unigeniti Filii Tui Domini nostri JEsuChristi, naturæ tuæ Divinæ participes effecisti, supplicamus infinitæ bonitati tuæ, ut per peccata nostra, à tam digna participatione non rejiciamur. Per eundem Dominum nostrum JESUM Christum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritûs S. DEUS in sæcula sæculorum, Amen.

STATIO III.

Coram tertio Altari; ubi dicendum est Evangelium sequens.

Initium Sancti Evangelii secundum Lucam.

FUit in diebus Herodis Regis Judææ, Sacerdos quidam nomine Zacharias de Tribu Abia, & uxor illius de filiabus Aaron, & nomen illius Elisabeth; Erant autem justi ambo ante DEUM, incedentes in omnibus mandatis, & justificationibus Domini, sine quærela, & non erat illis filius, eo quod esset Elisabeth sterilis, & ambo processissent in diebus suis. Factum est autem: cum Sacerdotio fungeretur Zacharias in ordine vicis suæ ante DEUM, secundum consvetudinem Sacerdotii, sorte exiit: ut incensum poneret, ingressus in Templum Domini: & omnis multitudo populi erat

orans foris horâ incensi. Apparuit autem illi Angelus Domini: stans à dextris Altaris incensi. Et Zacharias turbatus est, videns: & timor irruit super eum. Ait autem ad illum Angelus: Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua. Et uxor tua Elisabeth pariet tibi filium: & vocabis nomen ejus Joannem. Et erit tibi gaudium & exultatio: & multi in nativitate ejus gaudebunt. Erit enim magnus coram Domino: vinum & siceram non bibet. De Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ: & multos filiorum Israèl convertet ad Dominum DEUM ipsorum. Et

ipſe præcedet ante illum in ſpiritu & virtute Eliæ: ut convertat corda Patrum in filios: & incredulos ad prudentiam juſtorum, parare Domino plebem perfectam.

ANTIPHONA

Reſpexit Elias ad caput ſuum ſubcinericium panem, qui ſurgens comedit, & bibit, & ambulavit in fortitudine cibi illius uſque ad montem DEI.

ORATIO.

OMnipotens ſempiterne DEUS, qui Eliam virtute panis, ſignificantis Sanctiſſimum Sacramentum; deduxiſti uſque ad montem tuum: præſta quæſumus, ut & nos virtute panis vivi, de cælo deſcendentis, in mon-

montē æternitatis beatæ transeamus. Per Eundem Dominum nostrum JESUM Christum, qui tecum vivit & regnat in unitate spiritûs Sancti DEUS in sæcula sæculorum, Amen.

ALTARE IV.

Descendendo ad quartum Altare, dicenda est sequens Lectio.

Lectio Sancti Thomæ Aquinatis in Opusculo LVII.

IMmensa Divinæ largitatis beneficia, exhibita populo Christiano, inæstimabilem ei conferunt dignitatem. Neque enim est, aut fuit aliquando tam grandis natio, quæ habeat deos appropinquantes sibi

bi, sicut adest nobis DEUS noster. Unigenitus siquidem Dei Filius, suæ Divinitatis volens nos esse participes, naturam nostram assumpsit, ut homines DEOS faceret factus homo. Et hoc insuper, quod de nostro assumpsit, totum nobis contulit ad salutem. Corpus namque suum pro nostra reconciliatione in ara crucis hostiam obtulit Deo Patri, sanguinem suum fudit in pretium simul & lavacrum: ut redempti à miserabili servitute, à peccatis omnibus mundaremur. Ut autem tanti beneficii jugis in nobis maneret memoria, corpus suum in cibum, & sanguinem suum in potum, sub spe-

cie panis & vini ſumendum, fidelibus dereliquit.

O pretioſum & admirandum convivium, ſalutiferum, & omni ſvavitate repletum! Quid enim hôc convivio pretioſius eſſe poteſt? in quo non carnes vitulorum & hircorum, ut olim in lege, ſed nobis Chriſtus ſumendus proponitur verus DEUS. Quid hôc Sacramento mirabilius? In ipſo namque panis & vinum in Chriſti corpus & Sangvinem ſubſtantialiter convertuntur: ideoque Chriſtus DEUS, & Homo perfectus ſub modici panis & vini ſpecie continetur. Manducatur itaque à fidelibus, ſed minimè laceratur: quinimo

diviso Sacramento, sub quali-
bet divisionis particula integer
perseverat. Accidentia autem
sine subjecto in eodem subsi-
stunt, ut fides locum habeat,
dum visibile invisibiliter sumi-
tur alienâ specie occultatum,
& sensus à deceptione reddan-
tur immunes, qui de acci-
dentibus judicant sibi notis.

Nullum etiam Sacramen-
tum est istô salubrius, quô pur-
gantur peccata, virtutes au-
gentur, & mens omnium spi-
ritualium charismatum abun-
dantiâ impinguatur. Offertur
in Ecclesia pro vivis & mor-
tuis: ut omnibus prosit, quod
est pro salute omnium institu-
tum. Svavitatem denique hu-
jus

jus Sacramenti nullus exprimere ſufficit, per quod ſpiritualis dulcedo in ſuo fonte guſtatur & recolitur: memoria illius, quam in ſua paſſione Chriſtus monſtravit, excellentiſſimæ charitatis. Unde ut arctius hujus charitatis immenſitas fidelium cordibus infigeretur, in ultima cæna, quando Paſcha cum Diſcipulis celebratô, tranſiturus erat de hoc mundo ad Patrem, hoc Sacramentum inſtituit, tanquam paſſionis ſuæ memoriale perenne, figurarum veterum impletivum, miraculorum ab ipſo factorum maximum; & de ſua contriſtatis abſentia ſolatium ſingulare reliquit

ORA-

ORATIO

OMnipotens sempiterne DEus, qui nobis in Sacramento corporis & sangvinis unigeniti Filii tui saluberrimum convivium præparasti, quia non tantum nobis vivis, sed & mortuis voluisti esse utile, quæsumus humillimè: ut hodierna memoria hujus Sacramenti, non tantum nobis vivis, sed & mortuis in gratia tua, sit utilis ad salutem. Per eundem Dominum nostrũ JEsum Christum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritûs sancti DEus, in sæcula sæculorum, Amen.

Si & hic longior esset via ad quartum Altare, possunt recitari actus de Ssmo Sacramento inferius positi.

STA-

STATIO IV.

Coram quarto Altari, ubi dicendum est Evangelium sequens.

Initium S. Evangelij secund. Joan:

IN principio erat Verbum: & Verbum erat apud DEUM: & DEUS erat Verbum. Hoc erat in principio apud DEUM. Omnia per ipsum facta sunt: & sine ipso factum est nihil, quod factum est. In ipso vita erat: & vita erat lux hominum: & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.. Fuit homo missus à DEO, cui nomen erat Joannes. Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. Non

erat ille lux : ſed ut teſtimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognovit. In propria venit: & ſui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios DEI fieri, his qui credunt in Nomine ejus: qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt. Et Verbum caro factum eſt: & habitavit in nobis. Et vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi unigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis. AN-

ANTIPHONA.

Misit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem. Et qui manducat me, vivet propter me.

ORATIO.

OMnipotens sempiterne DEus, qui unigenitum Filium Tuum Dominum nostrum JESUM Christum, misisti in mundum, ut illius fruamur corpore & Sangvine, & vivamus propter illum, & in gloriam ejus, concede quæsumus ut illo viventes, & in illo manentes, vitam æternam consequamur. Per eundem Dominum nostrum JESUM Chri-

stum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritûs Sancti DEus, in sæcula sæculorum, Amen,

CONCLUSIO
Coram quarto Altari

ANTIPHONA
O Sacrum convivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria Passionis ejus. mens impletur gratiâ, & futuræ gloriæ nobis pignus datur. Alleluja. Panem de cælo præstitisti eis Alleluia. Omne delectamentum in se habentem Alleluia.

ORATIO.

DEUS qui per præsentiam Arcæ fœderis, domui & universæ substantiæ Obededom fide-

fidelis tui, largam benedictionem contulisti; concede propitius, ut Arca redemptionis nostræ Christus JESUS Filius tuus hodierno corporis sui mysterio nos visitans, temporali & æterna benedictione muneretur. Qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus Sancti DEUS in sæcula sæculorum, Amen.

TE DEUM laudamus: Te Dominum cofitemur.

Te æternum Patrem: omnis terra veneratur.

Tibi omnes Angeli: tibi cæli & universæ potestates.

Tibi Cherubim & Seraphim: incessabili voce proclamant,

Sanctus, Sanctus, Sanctus: Dominus DEUS Sabaoth.

Pleni sunt cæli & terra: Majestatis gloriæ tuæ.

Te gloriosus Apostolorum Chorus,

Te Prophetarum laudabilis numerus.

Te Martyrum candidatus laudat exercitus.

Te per Orbem terrarum Sancta confitetur Ecclesia.

Patrem immensæ Majestatis.

Venerandum tuum verum, & unicum Filium.

Sanctum quoque Paraclitum Spiritum.

Tu Rex gloriæ Christe.

Tu Patris sempiternus es Filius.

Tu

Tu ad liberandum ſuſcepturus hominem: non horruiſti Virginis uterum.

Tu deviƈtô mortis aculeô, aperuiſti credentibus regna cælorum.

Tu ad dexteram DEI ſedes: in gloria Patris.

Judex crederis eſſe venturus.

Te ergo qnæſumus, tuis famulis ſubveni: quos pretioſo ſangvine redemiſti.

Æterna fac cum Sanƈtis tuis: in gloria numerari.

Salvum fac populum tuum Domine: & benedic hereditati tuæ.

Et rege eos; & extolle illos uſque in æternum.

Per ſingulos dies, benedicimus Te.

Et laudamus nomen tuum in ſæculum: & in ſæculum ſæculi.

Dignare Domine die iſto: ſine peccato nos cuſtodire.

Miſerere noſtri Domine: miſerere noſtri.

Fiat miſericordia tua Domine ſuper nos: quemadmodum ſperavimus in te.

In te Domine ſperavi, non confundar in æternum.

DIES II.

Octavæ Sanctiſſimi Corporis Chriſti.

MODUS V.

Viſitandi Ssmum. Sacramentum mane per affectum doloris. Cm-

OMnis bonitatis, felicitatis, & benedictionis nostræ fons, latens in Sanctissimo Sacramento DEUS, & Homo JESU Christe, compareo hodierna die coram immensa Majestate tua, & Te hic præsentem sub speciebus panis quàm humillimè, cum ineffabili dolore visito. Vix etenim misericordissime JESU, instituisti Sacramentum corporis & Sangvinis tui, & cibasti illo iniquum Judam, & ecce ille mox statuit in mente sua, quomodo Sanctissimum Corpus tuum, ignotè arriperet, & sic ad Pharisæos, Principes Sacerdotum Judæorum deferre possit, si illius conatum non impedivisset

Sanctiſſima Virgo Maria Mater tua, quæ quodammodò per aliqualem, claram, certam, præviſionem, perſpiciens, & miraculoſè cognoſcēs, quis & qualis eventus futurus, igitur zelô gloriæ DEI accenſa, reſpiciens Voluntatem Dei huc inclinantem, uſa eſt jam ſuâ Materna & Regiâ Auctoritate, & ſic præpotenti Auctoritate ſua, mandavit Angelis; Panem conſecratum & vinum ex abominando orè infeliciſſimi Judæ paulatim colligere, & ad alias conſecratas particelles deferre. Executi ſunt tale mandatum Santiſſimæ Matris Miniſtri DEI, cum ſumma veneratione & obedientia adimpleverunt, & ſa-

Sacramẽtales ſpecies de ore tur-
piſſimo Judæ, intactè college-
runt, purificataſque in debito
& primario loco inter alias par-
ticellas intactè & honorificen-
tiſſimè depoſuerunt (uti teſt-
tur Venerabilis Maria à JESU
part. II. lib. VI. Art: XI.) Li-
cet ergo deeſſet alia ratio, u-
nicus peſſimi Judæ conatus,
eſt ſufficiens doloris fundamen-
tum. Hoc tamen ſacrilego co-
natu, non erat contentus fide-
fragus Judas, imò quia ipſi id
non evenit quod volebat, ulte-
rius facinus, perpetrare auſus
eſt; dum Te Magiſtrum, Præ-
ceptorum & Patrem ſuum a-
mantiſſimum (nullô habitô re-
ſpectu, etſi Sanctiſſimo Corpo-
re

re & Sangvine sit refectus) triginta argenteis vendidit. O malitia super malitiam! O iniquitas super iniquitates! quis inveniri poterit sic duri & lapidei cordis, qui super Te benignissime JESU indolere non debeat? Et ecce quomodo & ad præsens multi reperiamur Judæ, qui hôc Sanctissimo Corpore cibamur, vivimus, & illo reficimur, attamen per peccata nostra proditores existimus! O quàm innumeri erant qui susceptô Sanctissimô Corpore tuô pro vilissimis rebus, infidelibus Judæis illud vendiderunt, & iterum in varia tormenta, contumelias, & blasphemias tradiderunt. Quas inju-

rias

rias dum in hodierna visitatione recogito summopere, ex toto corde indoleo, imò desidero, ut super hæc ingratitudinis signa, per totam vitam meam, & momenta indoleam. Indoleo gemens tertio super hoc, quia ex hominibus Christianis, non est talis, quem non cibares Corpore & Sangvine tuo, attamen rarus est, qui Te visitaret frequentur. Miserere igitur JESU, super hac ingratitudine & tepiditate nostra, & quos dignatus es fieri participes Corporis & Sangvinis tui, eosdem, per illum dolorem quem habuisti, dum videras sacrilegos conatus Judæ, digneris accendere ad devotionem

erga

erga hoc Sacramentum, & ad continuam gratitudinem, pro institutione illius, propter salutem nostram.

MODUS VI.

Visitandi Sanctissimum Sacramentum ante meridiem: per affectum compensationis eadem die secunda.

SUperabundans merces nostra làtens in Sanctissimo Sacramento DEUS, compareo hodiernâ die coram immensa Majestate tua, & Te hic præsemtem sub speciebus panis quàm humillimè visito. Per hanc autem visitationem compenso Tibi pro omnibus negligenti-

gentiis meis, quandocunque, & qualicunque modô, neglexi Te visitare in Sanctissimo Sacramento latentem. Compenso secundo pro omnibus peccatis meis, quibuscunque Te potui offendere, per totam vitam meam, singulariter quando indignè, frigidè, & sine debita præparatione accedebam ad hæc Sacrosancta Mysteria. Compenso hac visitatione meâ, omnia opera & actus, & bonos progressus, qui essent perfectiores & tibi magis acceptabiles si illis plus amoris, diligentiæ, & fervoris spiritûs adderem. Compenso hâc visitatione meâ, omnia opera & actus, quoscunque potuissem habere, &

ad-

adimplevi ante vocationem ad statum præsentem, in quo ad præsens exist . Compenso omnia opera mea post vocationem ad statum hunc, in quo nunc ex infinita gratia permaneo. Compenso infantulos annos meos, annos juventutis meæ, maturitatis & senectutis meæ. Et quidquid in his intermisi, quidquid neglexi, & quidquid in illis mihi defuit, hoc totum in hunc locum, hodiernam licetsi tepidam & indignam visitationem tibi offerro. Compenso adhuc hodiernâ visitatione meâ, totam æternitatem Dæmonum maledictorum atq; damnatorum, qui Tibi in hoc Sacramento latenti,

nullum

nullum honorem, adorationem & reverentiam præstant. Compenso omnia tempora & momenta, horas, menses, años, quibus vacavi à debita gloria, adoratione & reverētia huic Sacramento. Compenso adhuc præsenti visitatione meâ, omnia opera & actus operationesque bonas, ad quas impediti fuerunt homines justi, aut per mortem naturalem, aut violentam, aut subitaneam & improvisam, aut qualicunque alio modo. Compenso ultimatò, omnia opera & actiones, quæcunque in quacunque circumstantia poterant esse adimpletæ, aut saltim ad adimplendum possibiles. Suscipe igitur

mi JESU affectum hunc compensationis meæ, quidquid quandocunque, & qualicunque modo, in adoratione Sacramenti Corporis & Sangvinis Tui pretiosissimi mihi defuit, aut intermisi, & rogo Te per testimonia falsa, contra Te quæsita, & Tibi objecta, à Principibus Sacerdotum, ne reminiscaris peccata, & negligentias meas.

MODUS VII.

Visitandi Sanctissimum Sacramentum post meridiem: per affectum desiderii die secunda.

UNica & superabundans pacificatio desiderii mei

latens

latens in Sanctissimo Sacramento JESU! compareo hodierna die coram immensa Majestate tua, & Te hìc præsentem sub speciebus panis, quàm humillimè adoro & visito.

Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea, ad Te DEUS meus: Sicut turtur sine socia persistere non potest, & tædio afficitur, eamq; modis omnibus quærit, ita ego DEUS meus, sine Te esse non possum, & Te quæro omnibus diebus vitæ meæ.

Sicut ovis à grege suo segregata, quærit gregem quem amisit, & sine illo errans permanet; sic ego errans sum sine

Te DEUS meus, & cum Propheta tuo clamo: *Erravi ſicut ovis quæ periit, quære ſervum tuum, quia mandata tua non ſum oblitus.*

Sicut columba per accipitrem perterrefacta & in remotas partes expulſa deſiderat redire ad conſortium ſuum, ita ego ad Te redire deſidero DEUS meus ſuper omnia dilectiſſime! & ſimul dico: hæc requies mea in ſæcula ſæculorum, hic requieſcam quoniam hunc locum Sanctiſſimi Sacramenti elegi mihi.

Sicut piſcis ſine aqua moritur, ſic ego morior ſine dulciſſimo cibo tuo JESU. Sicut homo viator, & in magnis de-

ſertis errans, deſiderat ad rectam, realem & veram ſemitam, ſic ego deſidero ad Te redire, qui es via, veritas & vita mea.

Sicut Abraham Patriarcha vidit diem tuum, vidit & gaviſus eſt, & deſiderabat Te videre. Sic ego deſidero Te videre DEUM meum.

Sicut Jacob Patriarcha deſiderabat videre Filium amiſſum Joſeph, ita ego deſidero Te videre DEUM meum in Sanctiſſimo Sacramento latentem.

Sicut Tobias juſtus deſiderabat videre lumen oculorum ſuorum, ſic & ego deſidero lumen videre clariſſimum cæli & terræ. Sicut

Sicut Job patientissimus, desiderabat recipere integram valetudinem corporis sui, sic ego desidero ut me digneris accedentem ad hoc Sacramentum sanare in corpore & anima mea.

Sicut antiqui Sancti Patriarchæ desiderabant Messiam verum: & suspirabant: *Rorate cæli desuper, & nubes pluant justum, aperiatur terra, & germinet Salvatorem.* Sic ego desidero principium, & fontem salutis meæ. Noli Domine contemnere desiderium meum, sed potius illud, per ardentissimum desiderium salutis humanæ, quod habueras in tota Passione tua, velis per gratiam tuam adau-

adaugere, ad majus, majusq; in dies desiderium gloriæ tuæ.

MODUS VIII.

Visitandi Sanctissimum Sacramentum ante tempus vespertinum, per affectum gaudii, lætitiæ, ex augmento gloriæ Sanctissimi Sacramenti, die secunda.

VErissimum animarum humanarum gaudium latens in Sanctissimo Sacramento JESU! compareo hodierna die coram immensa Majestate Tua, & Te hìc præsentem sub speciebus panis, quàm humillimè adoro & visito. Exulto & superabundanti repleor gaudio exinde, quia quam primum

instituisti Sanctissimum Sacramentum, Corporis & Sangvinis Tui, sic statim Sancti Apostoli & Discipuli Tui, Sacramentum deprædicabant toti universo, & hoc totum faciebant in Tui memoriam, sicut præceperas eis in ultima cæna tua! Gaudeo adhuc exinde, quia Apostoli non tantum id executi sunt, quia deprædicabant Sacramentum Corporis & Sangvinis tui, verum hanc deprædicationem, effusione Sangvinis sui confirmarunt, quemadmodum fecit Sanctus Andreas Apostolus, qui dum cogebatur ab Infidelibus: ut sibi consulens falsis Diis velit immolare, respondit: *Ego*

omnipotenti DEO, qui unus & verus est, immolo quotidie, non taurorum carnes, nec hircorum Sangvinem, sed immaculatum Agnum in Altari, cujus carnem posteaquam omnis populus credentium manducaverit, Agnus qui Sacrificatus est, integer perseverat & vivus.

EXulto tertiò exinde, quia post mortem Apostolorum, non cessavit gloria Sanctissimi Sacramenti, sed illam eorum successores, viri Apostolici, indies magis ac magis dilatabant, & propter hanc dilatationem sangvinem suum effuderunt. Exulto quartò exinde inenarrabili gaudio: quia præfatum Sacramen-

tum corporis & ſanguinis Tui, quotidie in Eccleſia tua per univerſum orbem conficitur, & immolatur, penes quotidiana Miſſarum Sacrificia. Exulto quintò exinde: quia ſicut Feſtum ſolemne hujus Sacramenti eſt feliciſſime inchoatum & inſtitutum, ſic ad hæc uſque tempora retinetur, & cum ſummo plauſu totius univerſi celebratur. Exulto adhuc exinde: quia licet inveniantur multi, qui in devotione erga hoc Sacramentum ſunt frigidi, attamen multò plures ſunt qui inextinguibili ardent amore erga illud, quotidie illud viſitant, & illi de die, & nocte debitam exhibent adoratio-

nem

nem. Accende & in me Domine, ardentissimum amorem erga Te, ut Te hìc semper visitem, ut hìc semper ad præstandum honorē Tibi debitum, quam ardentissime frequentem. Ultimatò exulto exinde: quia gloria Sanctissimi Sacramenti Tui, per universum orbem augetur, quia coram illo cælestium terrestrium & infernorum flectitur genu, quia in adorationem hujus Sacramenti, altissimæ Majestates, Apostolicæ, Cæsarum, Regum, Principum & quæcunque aliæ, cum summa humilitate, & reverentia, humiliantur, subjectos sibi ad id alliciunt, Ecclesias, Capellas, Oratoria, Altaria in me-

memoriam hujus Sacramenti erigunt, & omnes alios modos exinde præstant, ut tantum honorem, gloriam, reverentiam, hujus Sanctissimi Sacramenti augeant. Tribue ergo illis hìc latens JESU, per profundam taciturnitatem tuam, tunc dum, contra Te expositi erant testes falsi ut falsa testimonia contra Te perhiberent, majores ac majores gratias, ut magis, ac magis honor hujus Sacramenti per illos augeatur, & amplietur per totum Orbem.

DIES

DIES III OCTAVÆ SACRATISSIMI CORPORIS CHRISTI.

MODUS IX.

Visitandi Sanctissimum Sacramentum manè per affectum conversionis ad omnes quatuor mundi partes: hâc die tertiâ.

QUi Essentiâ, & immensitate tua cælum & terram imples, incomprehensibilis DEUS! compareo hodierna die coram immensa Majestate tua, & Te hìc præsentem sub speciebus panis quàm humillimè adoro, & visito. Quod autem non solum in hoc loco, non tan-

tantum in hoc Altari, non tantùm in hac Ecclesia, sed per totum Orbem latens sub speciebus panis existis; igitur intellectum, voluntatem & totam animam meam converto primò ad ortum solis, & Te in omnibus Ecclesiis, capellis, Altaribus & quibuscunque aliis locis præsentem visito, adoro, & glorifico. Eheu quis mihi nunc donet amantissime JESU! ut saltim hoc tempore, & toties ad visitandum Te exurgerem, quotiescunque sol oritur in cælo! O quàm essem felicissimus! si quotidié ad aspectum hujus materialis solis velim recogitare, quàm mirabili modo sol justitiæ Christus JE-

JESUS exoriri consvevit, & justis hominibus diem causare in anima!

Converto secundò animam & voluntatem meam ad occasum solis, & Te ibi præsentem in omnibus Ecclesiis Capellis, Altaribus, & quibuscunque aliis locis, præsentem visito, adoro, & glorifico dicens: *Ab ortu solis usque ad occasum, laudabile Nomen Domini.*

Non permittas itaque mi, Domine, ut in occidentibus partibus hujus mundi, sit occasus gloriæ & honoris, huic Sacramento debiti: effice hoc in nobis omni amore dignissime JESU, ne & post occasum, obdormiamus in devotione erga Te.

Converto tertiò animam & voluntatem meam ad meridionales partes, & Te in omnibus Ecclesiis, Capellis, Altaribus, & quibuscunque aliis locis, adoro, visito, & glorifico. Rogo Te simul, ut sit tam serenum cor meum, ad quotidianam Tui visitationem, sicut solet esse serenus sol meridianus; sic quiescat anima coram hoc Sacramento, sicut quiescunt omnia ad solem meridianum.

Converto quartò animam, cor & voluntatem meam totam, ad partes aquilonares, & ibi Te præsentem in omnibus Ecclesiis, Capellis, & Altaribus & quibuscunque aliis locis adoro, visito & glorifico, sed spe-

ſpecialiter viſito Te in his omnibus Dominiis, Regnis & locis, in quibus nequeunt Presbyteri patenter, & publicè conſecrare Sanctiſſimum Corpus & ſangvinem tuum, ſed tantum occultè, abſconditè, & privatim: ibi igitur JESU vellem ſemper eſſe præſens, ut Tibi pro omnibus infidelibus venerationem & gloriam retribuerem quotidie. Proteſtor coram Te DEO, Creatore, Patre & Benefactore meo, quod in quolibet loco volo Te viſitare DEUM meum, ſub ſpeciebus panis latentem, & ſi quandoque hoc deſiderium meum quæcunque retardabit occaſio, proinde proteſtor coram Te,

quia hoc non erit velle meum, velle enim meum, hoc est: sicut Tu per immensitatem tuam es ubique præsens, sic & ego DEO meo; volo, & desidero tribuere venerationem, honorem & gloriam, quinimò si possibile esset, vellem esse ubique præsens, & ubique & in omnes quatuor partes mundi vellem esse divisus; ut Te efficaciùs laudem in omni loco! O JESU, sub divisis panis accidentibus, in Sanctissimo Corpore Tuo indivisibilis, effice hoc per virtutem & efficaciam Passionis Tuæ extendentis se in omnes quatuor partes mundi, ut Tibi in Sanctissimo Sacramento latenti, ubique, & quolibet loco serviam! Mo-

MODUS X.

Visitandi Sanctissimum Sacramentum ante meridiem, per affectum omnium in singularitate perfectionum Divinarum, in Christo Domino existentium.

DOmine JESU Christe, in quo per mirabilem unionem Personæ Divinæ, cum Natura humana, invenitur plenitudo Divinitatis, hoc est: plena, integra & nihil mutabilis, neque mutata Natura Divina, compareo hodie coram immensa Majestate Tua, & Te hic præsentem sub speciebus panis, cum omnibus Perfectionibus tuis Divinis, quàm humillimè adoro & visito.

Visito Te altissima, profundissima, & excellentissima sapientia DEI, & gratias tibi ago specialiter pro hoc, quia singulare medium & modum salutis humanæ, adinvenisti Sacramentum Corporis & sangvinis JESU.

Visito Te omnipotentia DEI, & gratias ago pro hoc, quia sicut in aliis omnibus mirabilibus operibus tuis, sic in institutione Sacramenti hujus omnipotentiam Tuam demonstras, quandocunque penes actualem & essentialem oblationem Missæ Sacrificii, transubstantias panem in Corpus, & vinum in sanguinem JESU.

Visito Te omnia scrutans scientia DEI, gratias ago Tibi pro hoc, quia ignorantes & errantes, & viam rectam non quærentes, edocuisti veritatem, de hoc admirabili Sacramento.

Visito Te abæterna Providentia DEI, & gratias Tibi ago, pro hoc, quia ante sæcula, antequam creati fueramus, antequam nati, antequam mundum agnovimus, providisti nobis tam nutritivum cibum de Corpore JESU, & tam deliciosum potum, de pretiosissimo sanguine illius.

Visito Te immensa & nunquam deficiens Liberalitas Divina, & gratias Tibi ago, pro hoc, quia nobis tam magnum

thesaurum sine ullis nostris meritis donare dignata es, ubi enim major thesaurus inveniri potest, quàm hìc, ubi DEUS & Homo, sub speciebus panis latens, seipsum, cum Divina & Humana Natura, in cibum hominibus tradit? Quid amplius DEUS potuit dare? quam seipsum? Quid pretiosius donare, super corpus & sangvinem JESU?

Visito-Te Justitia Divina, alibi severè peccatores puniens, hic autem clementissimè parcens, eosdem pane cælesti & potu supernaturali reficiens. Gratias Tibi ago pro inenarrabili beneficio Tuo, quia in satisfactionem Justitiæ Tuæ pro

pecca-

peccatis noſtris; acceptas à nobis terribilem oblationem Corporis & ſangvinis JESU. O quam multoties promerui terribilia judicia Tua, & vix acceſſi ad Altare magnorum & mirabilium Myſteriorum Sanctiſſimi Sacramenti, magnam compaſſionem obtinui ſuper me: & hoc ipſum quia uſque ad hæc tempora vivo, quia hucuſque pro peccatis meis ad infernum non ſum detruſus, adſcribo id ſingulari effectui Sacramenti Corporis & ſangvinis JESU.

Viſito Te immenſa, illimitata & Infinita Miſericordia DEI, & gratias Tibi ago, qui miſertus es ſuper turbam po-

puli tui, jam non per triduum, sed ab initio mundi usque ad hodiernam diem, & momentum ultimæ cænæ sine hoc cibo famem magnam patientem.

Visito Te essentialis & clementissima Bonitas Divina, & gratias Tibi refero pro hoc, quia, dona Tua mirabili modo, quotidie communicas nobis, in hoc Sacramento!

Visito vos ultimatò, omnes ineffabiles, & incomprehensibiles intellectu humano perfectiones Divinæ, in hoc Sacramento latentes, adoro vos, veneror vos, totius cæli & terræ affectibus, reddo vobis omnem honorem, cultum & venerationem in sæcula, rogo

vos, per illam amaritudinem JESU, quam habuit illo tempore, dum illum proclamârunt omnes dignum esse morte, ut per peccata mea, non promerear mortem æternam.

MODUS XI.

Visitandi Sanctissimum Sacramentum, post meridiem, per varias partes naturæ humanæ, Christi Domini.

BEnignissime & misericordissime JESU, qui tecum Naturam humanam super omnes cælos exaltâsti: & illam modò, unà cum Divinitate, sub speciebus panis in Sanctissimo Sacramento mirabiliter con-

contines; sisto me hodie coram imensa Majestate tua, & Te secundum Naturam humanam Deificatam, quàm humillimè adoro & visito.

Et primò visito Sanctissimam animam Tuam humanam ad primum instans creationis suæ, visionem claram DEI habentem, mox post creationem & adhuc in utero MARIÆ Virginis Redemptionem nostram desiderantem, & statim in utero Redemptionem nostram operari incipientem, per totam vitam de salute nostra recogitantem, & hanc salutem operantem, postea penes acerbissimam Passionem contristatam usque ad mortem, penes mi-

rabi-

rabilem autem Resurrectionem, & in cælum Ascensionem, gaudiô & lætitiis cælestibus repletam: modo verò mirabiliter ad verba sacerdotalia: sub speciebus panis & vini de cælo alacriter descendentem, nobiscum manentem, & nos omnes peccatores exhilarantem, nutrientem, & confirmantem.

Visito Te Sanctissimum Corpus JESU, propter amorem salutis meæ variis viis, laboribus & oneribus fatigatum, à planta pedis usque ad verticem Capitis vulneratum, magna cruce ad montem Calvariæ aggravatum, expansum in Cruce, postea in Sepulchro depositum; modò verò super omnes

mnes Creaturas magnificatum, & ex se sic magnificato, cibum nobis peccatoribus comparans,

Visito Te pretiosissime, inæstimabilissime, selectissime Sanguis JESU, tum penes horrendam flagellationem, tum penes magis horribilem Crucifixionem, tum ad ultimum penes mortem abundè propter me effuse, à Sanctissima Virgine MARIA cum magna reverentia, & adoratione, post consummatam Passionem collecte, & digne ab Illa tractate; Colligo hìc & ego sangvinem Tuum Sacratissimum, dulcissime JESU affectu Sanctissimæ Virginis MARIÆ, & illum in corde meo sicut thesaurum pretiosissimum repono. Vi-

Visito vos Sancti, humiles, & nulli alterationi, aut mutationi subjecti sensus JESU interni: da ergo mihi amantissime JESU, ut & sensus mei interni sint pacificati semper, & nulla passione humana perturbabiles.

Visito vos omnes sensus externi, omni semper instinctui & mandatis Animæ JESU obedientes, flexibiles, & illius omnem voluntatem adimplentes.

Visito Te sapientissimum omni scientiâ repletissimum & profundissimum in Conceptu Caput JESU, cogitationibus Sanctis de integritate nostra repletum, propter nos vulneratum, spinis coronatum, de capillis propriis in majori parte

sub

ſub tempus Paſſionis avulſum, & penes ultimam agoniam ad nos inclinatum, ut & nos ad te gratioſiſſime JESU, alacrius ardentius & zeloſius inclinari, redire, & converti poſſemus.

Viſito vos Oculi JESU quondam ſuper Civitatem Jeruſalem, deinde ſuper nos, & totius peccata mundi flentes; colligo omnes lachrymas veſtras, quæcunque potuerunt effundi per totam vitam JESU, & illas mihi in deletionem, & remiſſionem peccatorum meorum, cum Tuo conſenſu approprio. Reſpicite ergo miſericorditer de ſub his accidentibus Sacramentalibus, & date mihi hanc gratiam, ut oculi mei avertantur

tur ſtatim ab omni vanitate & illam nunquam reſpiciant, ſed potius ſemper defleant peccata mea.

Viſito vos ora dulciſſima, diſertiſſima, & pro omnibus peccatoribus Patrem clamantia: dicite ergo modò pro me ſaltim unicum verbum, ut gratiam ejus excitantem ad veram pænitentiam conſequar, ut de peccatis meis, toto corde, animo, voluntate & omnibûs viribûs meîs doleam, ut ora mea in laudem DEI, & Sanctiſſimi Sacramenti convertam! Inſpirate mihi Ora JESU quàm ardentiſſimum amorem erga idem Sanctiſſimum Sacramentum, perſvadete zelum

lum Spiritus, perorate quotidianum progressum perfectionis Christianæ, excitate me plene, ad omnes virtutes & efficacem emendationem vitæ meæ.

Visito vos gratiosissimæ aures JESU, ad omnium postulantium necessitates, semper paratæ & veloces. Et sicut antea stante vita JESU, etiam maximos peccatores audîstis, sic modò & me maximum peccatorem coram hoc Sacramento gementem & postulantem dona, & gratias cælestes semper exaudite, sed maximè in hora mortis!

Visito Te Sanctissima Facies JESU, cælum & terram aspectu

ſuo exhilarans, & rogo Te per omnes contemptus, alapas, & ſputa in Te projecta, lætifica quandoque contriſtatam propter peccata animam meam: effice hoc in me, ut abjectis omnibûs decoribûs, pulchritudinibûs, & ſpeciebus terrenis, Te ſemper, & per totam æternitatem inſpiciam.

Viſito vos largiſſimæ manus JESU, quinque millibus hominum quinque panes frangentes, Apoſtolos penes ultimam cænam benedicentes, Corpus & ſanguinem ejus diſtribuentes, Apoſtolorum pedes lavantes, & omnia mirabilia opera cum illis efficientes. Viſito vos manus JESU in Cruce expan-

sæ, cruci crudeliter per carnifices conclavatæ, & postea per Josephum ab Arimathæa humiliter, & cum reverentia de cruce depositæ. Sicuti ergo manus Sanctæ benedixistis quondam Apostolos, & turbas congregatas, sic & me benedicite. Sicuti Corpus & sanguinem JESU distribuebatis, sic & mihi etiam hoc utrumque feliciter porrigite, ut eodem cælesti refectus cibô perveniam in montem Sion. O JESU gratiosissime, qui post exaltationem tuam, omnia ad Temetipsum trahere promisisti, trahant me hodiernâ die ad Te, expansæ manus Tuæ!

Visi-

Visito Te deificatum pectus JESU, quod in ultima cæna, Sanctum Joannem Apostolum in Te recumbere permisisti, ô quis mihi daret hanc gratiam, ut etiam anima & cor meum, in eodem Sanctissimo pectore recumbere salutariter possint! O pectus benedictum, quod in Te immensum ignem amoris erga genus humanum claudebas, aperi hodie cordi meo, ad Te æstuanti, & illud ad Te cum susceperis, pro semper in Te occlude, & misericorditer conserva, ut nihil plus amet, quam solum & Ipsum DEUM. O pectus amantissimum, quod peccatores misericorditer amplectebaris, amplectere, amplectere & me, in omni necessita-

te vitæ meæ, ſed maxime pro illo tempore quando pectus meum, penes mortalem agoniam ultimum ſpiritum aget, & ſuſpirabit.

Viſito vos brachia & ſcapulas JESU, ignominioſe, crudeliter & immiſericorditer flagellata, ſuper quæ fabricaverunt peccatores, & prolongaverunt iniquitates ſuas. O quam multoties & ego prolongavi iniquitatem meam, tam diu perſiſtendo in peccatis meis: Ne reminiſcaris ergo mi JESU iniquitatem meam, ſed potius per duriſſimam flagellationem tuam, dona, dimitte mihi miſericorditer iniquitatem meam.

Visito te latus Sacratissimum à Longino perforatum. De hoc latere, veluti de quodam fonte immenso, Sacramenta Sancta toti Ecclesiæ Christianæ emanârunt: emanent ergo & mihi isti fontes inexhausti gratiarum, & beneficiorum tuorum. Dum Thomas Apostolus cecidit in infidelitatem, demandâsti ei JESU, ut imponat lateri tuo manus suas, & agnoscat veritatem; nolo ego cum Thoma amplius probare veritatem, scio pro certò, quia latus Tuum sanctissimum, est propter me apertum, intromitto igitur me quotidie in illud, & cum Thoma exclamo: *Dominus meus &*

DEUS meus in Sanctissimo Sacramento latens existit.

Visito Te mare inexhausti amoris & thesaurorum cælestium cor JESU, pariter cum latere à Longino milite transfixum, & residuum sanguinis propter salutem nostram ex se misericorditer effundens. Ex quo itaque amore permisisti à Longino transfigi, ex eodem ipso esto propitium mihi peccatori: ex quo amore effudisti sanguinem in ablutionem purgationem, & justificationem totius mundi; ex eodem ipso digneris me lavare, purgare, & justificare per Sanguinem tuum, ex quo amore induxisti JESUM ad hoc, quod in cruce permi-

ſerit transfigi, & voluerit mori pro ſalute mea, ex eodem ipſo digneris ſcrutari frigidum cor meum, ut tandem aliquando exardeſcat ad amandum Te. O JESU neſcio Te amare corde meo, dona ergo mihi cor tuum, & illò amabo Te, ſicut dignus es! aut ſaltem cor meum transmuta in cor tuum, & ſic Te ſine immutatione, ſine alteratione, ſine tædio per omnia ſæcula amabo.

Viſito vos miſericordiſſimi pedes JESU, tam multas vias grandes, difficiles, & ſanguinolentas propter ſalutem meam peragentes. O pedes Sancti, qui ex Bethleem in Ægyptum, de Ægypto ad prædicandum E-

vangelium, longas vias peragebatis, qui ex horto Gethſemani ad Annam, & Caipham, Principes Sacerdotum Judæorum, ambulabatis, ab his tandem ad Pilatum, & Herodem ac tandem in montem Calvariæ progredi dignati eſtis, edocete me veſtigia & ſemitas veſtras, ut illas quotidie ambulando de tractu ſalutis meæ non aberrem. O Pedes Sancti & beati! amplector vos toto corde, & animâ meâ, ſuſpendo me penes vos ſicut famelicus catellus, nolite ergo abjicere me ad vos confugientem, ſed potius mihi plenam, & veram viam vitæ bonæ, & ſalutis æternæ oſtendite.

Viſi-

Visito vos ultimatò omnia membra, particellæ, arteriæ sacratissimi Corporis JESU. Visito vos omnes guttæ parvullimæ & minutissimæ sanguinis JESU, sucipite itaque gratiosè à me hanc indignam visitationem meam, suscipite tam parum valentem, frigidam, & aridam voluntatem meam ad adorandum Sanctissimum Sacramentum; & sicut omnia membra JESU juvabatis, concurrebatis, & cooperabamini ad salutem totius mundi, quam efficacissimè juvate, & accendite me igne cælesti, ut amem JESUM in sanctissimo Sacramento latentem, ac acerbissimam passionem ejus penes usum hu-

jus Sacramenti, ſemper recogitem:

MODUS XII.

Viſitandi Sanctiſſimum Sacramentum ante veſperum, per redditionem viſitationis, & adorationem totius mundi.

DOmine JESU Chriſte, cui omnis ſubjectio, ſubditatus, adoratio, & reverentia à me, & qualibet Creatura debetur: ſiſto me hodierna die coram im̃enſa Majeſtate Tua, & Te hìc præſentem, ſub ſpeciebus panis quâm humillime viſito. Penes quam viſitationem reddo Tibi omnes alias viſitationes, & adorationes, quaſcunque Tu ſolus DEUS per Scientiam tuam ſcis poſſibiles, & nullam contrari-

trarietatem impoſſibilitatis, aut contradictionis in ſe habentes.

Reddo Tibi omnes alias viſitationes & adorationes, quaſcunque Tu ſolus cognoſcis per ſcientiam viſionis, quod quandocunque pro certo fuerunt, aut modo reipſa ſunt, aut quandocunque erunt.

Reddo Tibi omnes alias viſitationes & adorationes quaſcunque per ſcientiam tuam vides & cognoſcis, quod fuiſſent factæ & adimpletæ, ſi hæ, & illæ circumſtantiæ, aut conditiones ſuum effectum haberent.

Reddo Tibi, & offero omnes alias viſitationes & adorationes, quaſcunque tota Sapientiâ tuâ comprehendis, ſcrutaris & cognoſcis.

Red-

Reddo Tibi omnes alias visitationes & adorationes quascunque Tu solus misericors DEUS, in tota imensitate sanctissimæ voluntatis tuæ, claudis, & contines.

Reddo Tibi omnes visitationes & adorationes, quascunque Tu solus vis, quæcunque tibi ipsi placent, quascunque vides Tibi esse gratas, acceptabiles, tuæ sanctissimæ voluntati conformes, illi planè, & in toto subjectas, & obedientes.

Reddo Tibi adhuc omnes alias visitationes & adorationes omnium totius mundi hominum, quæcunque in immensa Omnipotentia tua creasti, ab initio mundi, creas & creabis,

&

& creare potes, uſque ad finem mundi.

Reddo Tibi DEUS meus, omnes alias viſitationes & adorationes, exindè, quod dignitas tua omni gloria digna, & infinitè digna ſit, ſecundùm ergo menſuram dignitatis tuæ, retribuo tibi menſuram & numerum immenſum actuum & affectuum Te viſitantium, adorantium, diligentium, & magnificantium, & ego ſolus Te DEUM meum adoro, laudo, glorifico tantùm: quantum dignitas tua ex me exigit. O Dignitas infinita, fac me dignum Te, per illos contemptus & injuſta judicia humana, in quibus amantiſſimus meus JESUS; fuit ab omnibus indignus reputatus.

DIES IV.
OCTAVÆ SACRATISSIMI CORPORIS CHRISTI.
MODUS XIII.

Visitandi Sanctissimum Sacramentum manè, Nomine Sanctissimæ TRINITATIS, eadem quartà die.

UNica cæli & totius mundi consolatio Christe JESU sisto me hodie coram im̃ensa Majestate tua, & Te hìc præsentem sub speciebus panis, quàm humillimè visito.

Visito Te affectu, quo Te Pater Æternus Tecum consubstantialis, æqualis, & æqualiter immensus, visitavit tunc, quando penes ultimam cænam panem & vinum transsubstantiasti in Sanctissi-

ctissimum corpus tuum, quando prima vice cum tota natura Divina, & humana descendere dignatus es, sub creata, vilia, & minuta accidentia panis & vini: quando Tua & totius sanctissimæ Trinitatis potestate instituisti Sacramentum Corporis & sanguinis Tui, & simul præcepisti Discipulis tuis, ut & ipsi, id ipsum faciant in Tui memoriam. Quis enarrare valebit? quantam complacentiam delicias, & gustum habuit Pater æternus in illa actuali transsubstantiatione panis, & vini, in Corpus & sanguinem Tuum, & in actuali institutione tam magni Sacramenti? revera nemo debitè exprimet, nemo debitè descri-

describet; Quantacunque itaque potuit esse complacentia Patris æterni, pro illo tempore ex præfato hoc sancto mirabili mysterio, hanc omnem ego tibi hìc offero, consecro & subjicio.

Visito Te adhuc hoc affectu, quo Persona tua Divina suscepit in se creata accidentia panis & vini, & sub illis totam Majestatem, magnificentiam, & immensitatem suam Divinam, mirabili, inenarrabili, & stupendo modo abscondit. Subsiste hìc paulisper Anima mea, & inspice diligenter, quàm magnum miraculum, tunc fiebat, quando secunda Persona Sanctissimæ Trinitatis Filius

DEI,

DEI, jam in ante mortalitate naturæ contectus, iterum mortalitate accidentium panis & vini, dignatus est contegi, sine ulla diminutione immensæ Majestatis suæ.

Visito Te JESU hoc affectu, quô Sanctissimus Spiritus tertia Persona Sanctissimæ Trinitatis, concurrebat, & simul perficiebat & perfecit tecum mirabile Sacramentum Corporis & sanguinis Tui. Visito Te ad ultimum affectu totius Sanctissimæ Trinitatis, ad id Sacramentum infinitâ Omnipotentiâ suâ concurrentis, & rogo Te per ignominiosè injecta sputa in Sanctissimam faciem Tuam, ut imaginem Sanctissimæ

Trinitatis in anima mea expressam, nunquam per peccata mea maculem.

MODUS XIV.

Visitandi Sanctissimum Sacramentum, die quarta ante meridiem Nomine Sanctissimæ Virginis MARIÆ & aliorum Sanctorum ad institutionem Sanctissimi Sacramenti præsentium.

DOmine JESU Christe qui Maternum affectum Sanctissimæ Virginis MARIÆ Matris tuæ inenarrabiliter Tibi æstimasti, & illum super omnes omnis Creaturæ affectus præferebas, compareo hìc coram Te sub speciebus panis præsente,

te, cum affectu Sanctissimæ Virginis Mariæ, & Te illius affectu, Nomine & corde, quàm humillimè adoro & visito.

Visito & adoro Te hoc affectu, quô Te adorabat Sanctissima Virgo MARIA, dum penes ultimam cænam cognovit transubstantiationem panis in corpus, & vini in sanguinem tuum: dum elavatam à Te prima vice consecratam Hostiam, procidens in terram venerata est, & illi profundum cultum & adorationem reddidit. Ad ultimum visito & adoro Te hoc affectu, quô Te adoravit Sanctissima Virgo MARIA, dum sub tempus actualis ultimæ cænæ, ad institutionem Sanctissimi

hujus Sacramenti; prima vice de manibus Archangeli Gabrielis, prius ante Apostolos communionem suscepit. Visito Te illius affectu, quô visitabat Sanctissimum Sacramentum Corporis & sanguinis Tui, per totum tempus vitæ suæ, post institutionem hujus Sacramenti. Visito Te illo ipsius affectu, quô gratias agebat, pro tam magno mysterio, quô appretiabat hoc Sacramentum, & illud pro speciali medio salutis humanæ judicavit. Unô verbô visito Te hìc latens in Sacramento JESU affectibûs hîs, quoscunque habuerat & potuerat habere Sanctissima Virgo MARIA Mater Tua, in tota vi-

ta ſua. Et quemadmodum Sanctiſſima Virgo MARIA ſpeciali modò cognovit penes ultimam cænam, quia ſub ſpecie panis, Corpus Tuum, & ſub ſpecie vini Sanguis tuus realiter contineatur, & ſimul, quod ſub his utriſque ſpeciebus ipſe verè vivens Chriſtus DEUS & Homo exiſtat; ſic gratioſiſſime JESU da mihi hoc totum viva fide cognoſcere.

Viſito Te JESU affectu Sanctorũ Patrũ Veteris Teſtamenti, Enoch & Eliæ per operationẽ Angelorum ad ultimã cænam conductorũ, & in illa præſenter penes inſtitutionem Sanctiſſimi Sacramenti exiſtentium, deinde de manibus Sancti Pe-

tri Apostoli, Sanctissimum Corpus & sanguinem tuum suscipientium, post hanc autem prodigiosam Sanctissimam Communionem, in loca sua, per præfatam operationem Angelicam delatorum (sicut id testatur Venerabilis Maria à JESU part. II. lib. VI. cap. XI.) O largissime in Sacramento tuo JESU impleas sic cor meum donîs cælestibûs, & verâ lætitiâ, sicut implevisti corda Patrum veteris Testamenti Enoch & Eliæ, quando prima vice sumpserunt sanctissimum corpus & sangvinem tuum! O JESU qui penes ultimam cænam tuam, utriusque Testamenti Fideles, sanctissimo Corpore, & san-

ſanguine cibaſti, ciba etiam utraſque partes meas; hoc eſt: corpus & animam meam, ut ſic cibatus, nunquam in anima mea moriar.

Viſito te affectu Sancti Petri, qui vix penes ultimam cænam audivit à Te: quòd ab uno ex Diſcipulis ſis prodendus, mox audacter propoſuit ſtare Tecum, in quo licetſi vacillaverit, tamen poſtea ſicut ſemel ad te acceſſit, abhinc nunquam receſſit.

Viſito Te affectu Sancti Joannis in pectore tuo tempore ultimæ cænæ recumbentis, & magna myſteria Sancti Evangelii, ex illo haurientis. Illius igitur affectu, depono ego ho-

die, animam, cor & totum id quidquid ſum: in Deificato pectore tuo, & rogo te per duram quietem in Cruce tua, non rejicias me, à tam felici & ſublimi quiete mea.

Viſito Te affectu Sancti Jacobi Apoſtoli primi Epiſcopi Hieroſolymitani, cui unico propter innocentem vitam ipſius licebat ingredi & viſitare Sancta Sanctorum, hoc eſt locum Sanctiſſimum in Templo Salomonis exiſtentem. Locus Sanctiſſimus, in Eccleſia novi Teſtamenti eſt Tabernaculum ſive Ciborium Sanctiſſimi Corporis & ſangvinis Tui, hunc igitur locum, cum omni ſimili humilitate veneror, & Te in

illo præſentem præfato S. Apoſtoli corde, adoro, amo & ſuper omnia præfero. Reviviſcite & exurgite rogo omnia corda Apoſtolica, & mecum præſentem DEUM hìc adorate, magnificate, & amorem ejus erga ſuam creaturam, deprędicare non ceſſate!

MODUS XV.

Viſitandi Sanctiſſimum Sacramentum poſt meridiem nomine Ordinum Angelicorum & omnium Sanctorum.

O Altiſſime Dux omnium militiarum, exercituum & Angelicorum Ordinum latens in ſanctiſſimo Sacramento JESU, viſito Te affectu An-

gelorum Tibi in hoc loco quotidie assistentium & inservientium. Visito te affectu omnium Angelorum hanc Ecclesiam custodientium & ad finem mundi in custodiam hujus Ecclesiæ designatorum. Visito Te affectu horum Angelorum, qui me ipsum custodiunt, qui super me evigilant, ut non aberrem à via præceptorum tuorum, sed potius ducunt, ut quotidie frequentem ad visitandum Te. Visito Te ad ultimum affectu, omnium Angelorum quicunque ad quemlibet singulariter hominem, ad quaslibet, singulariter Regiones, Dominationes, Provincias, Civitates, oppida & omnes

singu-

ſingulariter quatuor orbis partes ſunt in cuſtodiam, præſidium, & protectionem ordinati. Invito ad hanc functionem, omnes Archangelos, Seraphinos Cherubim & Thronos, ac Poteſtates, ut hìc mecum ſimul Te viſitarent, non tantùm tunc, quando ego coram præſentia tua comparebo, ſed ſemper quolibet momento, inſuper & in abſentia mea, quando ego obſequium meum præſtare non potero.

Viſito Te nomine antiquorum Sanctorum Patriacharum ſub variis figuris Sacramentum Corporis & ſanguinis Tui exprimentium, ſed tamen patenter illud non inſpicientium,

neque

neque illo ita, ſicut nos modo fruentium.

Viſito Te affectu omnium Sanctorum Prophetarum de Te concorditer & unanimiter prophetizantium, Te in ſpiritu adorantium & viſionem Tuorum myſteriorum Corporis & ſanguinis pretioſiſſimi deſiderantium. Deſideria igitur illorum omnium, in unum cor meum aggrego, & hæc omnia Tibi in hodiernam oblationem reddo.

Viſito Te affectu omnium Sanctorum Martyrum, pro Fide Tua, pro Evangelio, pro Nomine Tuo Sanctiſſimo, & ſpecialiter pro Confeſſione Sanctiſſimi Corporis & ſanguinis

Tui

Tui pænas ſuſtinentium & ſanguinem ſuum effundentium, gratias Tibi ago Domine, quia nos, per illos in fide vera, & ſingulariter in ſanctiſſimo Sacramento confirmaſti. Confirma nos ſic ulterius, ut etiam nos ſimili modo propter fidem tuam, & honorem ſanctiſſimi Sacramenti parati ſimus, ſanguinem noſtrum effundere, & pro Nomine tuo mori!

Viſito Te affectu & corde omnium Sanctorum Confeſſorum, licèt non reipſa, ſed zeloſo, ferventi, & continuo affectu pro Te mori deſiderantium, & totaliter ſecundùm corpus & mundum propter Te mortuorum. Da mihi bo-

ne JESU, ita plenè propter Te mori, ut vivam Tecum in æternum.

Visito Te affectu, nomine & corde, omnium Sanctorum Doctorum, totam vitam suam, labores, & omnes vires, in id convertentium, ut ignaros edoceant notitiam Dei & præcepta illius, & omnes perfectiones ad salutem spectantes. O sublimissime Doctor JESU edoce etiam & me, qualiter Te debeam amare, laudare, qualiter Tibi servire, quomodo adimplere vocationem meam, & quomodo ampliare honorem Sacramenti Corporis & sanguinis Tui?

Visito Te de visceribus virgineis nate JESU, affectu omnium Sanctarum Virginum, propter amorem Tui, omnes delicias, gaudia, & commoditates hujusmodi abjicientium & contemnentium. Da etiam & mihi similem gratiam, ut omnibus contemptis, in Virginea innocentia, Tibi soli vivam & serviam.

Visito Te affectu illorum Sanctorum servorum Tuorum, qui tecum jam in cælo vivunt, regnant, dominantur & dominabuntur in æternum, sed nobis adhuc sunt ignoti & ab Ecclesia Catholica Romana, non sunt proclamati. Si igitur placet voluntati Tuæ Domine, fac nobis

bis eos notos, dignare illorum notificare & proclamare gloriam, & honorem, in tota Ecclesia Tua; ut cum illis Te ferventius laudemus, & glorificemus.

Pro ultimo visito Te affectu omnium Sanctorum, & illorum merita labores, fatigationes, martyria, mortificationes & alia bona opera quæcunque habuerunt per totam vitam suam, habebunt, & nunc habent, Tibi Deo meo in recognitionem subditatûs mei reddo, & rogo Te per omnia merita Sanctorum Tuorum, & per obstinatas instigationes infidelium Judæorum contra Te, penes acerbissimam Passionem Tuam,

ut in vita perfecta valeam imitari Sanctos Tuos, & Tibi ſemper placere curem.

MODUS XVI.

Viſitandi Sanctiſſimum Sacramentum ante veſperum, per figuras veteris Teſtamenti ex Perſonis humanis deſumptas.

Viſito Te nove Adam, jam non veſtibus in Paradiſo à Deo comparatis, ſed accidentibûs panis & vini cooperte. Viſito Te prime Agricola terræ noſtræ, in ſudore continuo circa ſalutem Animarum humanarum pane utens, & iterum per ſudorem ſanguineum laborum tuorum hunc panem mirabilem relinquens. O Te felicio-

rem ſuper primum, Adam: in actionibus omnibus & operibus; illius Adami, terra fuit maledicta: in actionibus, operibus & myſterio Sacramenti hujus, terra cordium noſtrorum benedicta permanet. Illi Adamo tantùm ſpinas & tribulos germinabat terra, Tibi verò Chriſte JESU terra cordiũ noſtrorum, innocentia lilia, purpureas roſas & paradiſum terrenum germinat, quandocunque illam Corpore tuo reficis, & ſanguine Tuo irrigas. Illi Adamo demandatum eſt, ut cibus illius ſit de variis herbis terræ, cibus verò tuus JESU, non herbæ materiales, ſed herbæ bonorum operum, de terra

cordis nostri provenientium; Respice igitur JESU super aridam terram cordis mei, & illam sanguine tuo Sanctissimo, dignare quàm per optimè irrigare, ut fructus virtutum Sanctarum reddat in abundantia.

Visito Te Rex Melchisedech, altissime Sacerdos Dei Altissimi, post devictos tuos capitales hostes, panem & vinum in memoriam Tui penes ultimam cænam offerens, & Abraham Patriarcham, hoc est totam Ecclesiam Christianam benedicens. Benedic etiam & me Altissime Sacerdos, ut capitales hostes meos hoc est: mundum, carnem & dæmonem possim efficaciter vincere.

Visito Te DEI & Hominis FILI, qui velut alter Azer, provides nobis panem vivum, sapidum, abundantem; & ipsis Regibus delicias præstantem, rogo Te igitur, da mihi hanc gratiam, ut mihi tuus panis cælestis sit semper sapidus, & animæ meæ vividus, in pignus vitæ æternæ.

Visito Te ignite Elia, in via salutis humanæ, & prædicationis Evangelii elaborate, post hunc laborem in mortem crudelem Te ipsum resolvens, pane mirabili penes ultimam cænam benedicto Te ipsum & Apostolos reficiens, in hoc pane per quadraginta dies post Resurrectionem Tuam, in mundo

do persistens, & ultimò in montem DEI in eodem pane, penes Ascensionem Tuam in cælum ascendens. Rogo Te per illam amaritudinem, quam habuisti in illo tempore, quando blasphemator publicè nominabaris, dignare me hoc pane tam efficaciter reficere, ut virtute illius non tantùm per quadraginta dies, sed per totum decursum vitæ meæ, possim salutariter in via præceptorum Tuorum incedere, & tandem in montem gloriæ cælestis pertingere.

Visito Te spiritu Divino plene Elisee, in cænaculo mulieris Sunamitidis panem manducans, & in illo requiescens,

deinde eandem mulierem insperata benedictione replens. Invito etiam ego Te ad cœnaculum animæ meæ, offero Tibi in illo hunc panem cælestem, quô me tam multoties cibâsti, imple me benedictione tua, ad obtinendam gloriam æternam, adjuvante.

DIES V.

OCTAVÆ SACRATISSIMI CORPORIS CHRISTI.

MODUS XVII.

Visitandi Sanctissimum Sacramentum manè per figuras Veteris Testamenti ex rebus inanimatis desumptas.

VIsito Te Arca fæderis, jam non tabellas Legis Mosaicæ,

cæ, non virgam Aaronis, non Manna vetus, ſed verum Corpus & ſanguinem JESU in ſe continens. Recipio Te Arca Sancta, de manibus infidelium Philiſtinorum, & ſtatuo Te in altari cordis mei, in quo ſi adinvenies aliquod ſimulacrum ſimile Dagoni, rogo Te, ejice illud, & retrude poſt oſtia cordis mei. Recipio Te affectu Davidis Regis, de domo Obededom, ad domum & tabernaculum animæ meæ, & ſic Te venerari cupio, ſicut ille Te, tunc veneratus eſt. Quando David Rex deducebat Arcam Domini, uſus eſt ad id tali apparentiâ. Primò egreſſus eſt omnis populus ad introducen-

dam Arcam. Secundò quidquid erat inſtrumentorum, artium muſicarum hoc totum pro illo tempore conductum erat, & coram Arca Domini ludebatur. Tertiò Rex David pulſabat Cytharam , coram Arca Domini, & coram illa ex magno gaudio publicos ſaltus fecit ſine reſpectu ad authoritatem Regiam. Hæc Arca veteris Teſtamenti, fuit figura Sanctiſſimi Sacramenti. Si igitur hic Sanctus Rex , ſic humiliatus eſt, coram Arca lignea, ſi ità gaviſus eſt, & exultabat, ſi illi, tam magnos honores, applauſus, feſtivitatem & aſſiſtentiam præſtabat, quid (putandum)? ageret coram hac Arca Dei-

Deificata, si illam potuisset temporibûs vitæ suæ videre, & habere in sua possessione. Qui tam profundè veneratus est umbram & figuram Sanctissimi Sacramenti: O quomodò veneratus fuisset veritatem! qui tam humiliabatur coram ligno! O quàm humiliaretur coram Christó! qui ità ludebat coram Arca! O quantùm luderet coram vera & terribili Majestate Dei! O quantum gaudium internum & externum exhiberet David, coram hoc Sanctissimo Sacramento, quod in ligno figurante sic veneratus est, & adorabat! O quantam in nobis humilitas Davidis Regis deberet causare devotio-

nem erga hoc Sacramentum! Si illud diligenter, realiter & fide viva inſpiceremus. O JESU, Arca Deificata novi Teſtamenti, rogo Te, effice in me tam magnum gaudium, lætitiam, adorationem, & humiliationem, coram Sanctiſſimo Tuo Sacramento, quale quondam habuit Rex David, coram Arca veteris Teſtamenti, ut cum illo poſſim audacter dicere: ludam & vilior fiam, quàm in ante fui, & ero humiliatus in oculis meis, & hoc ipſo glorioſior fiam.

Viſito Te Manna cæleſte, accidentibûs panis contectum, omnem ſaporem & delicias in ſe animabus hominum effici-

ens, & quemlibet ſingulariter ſecundùm illius exigentiam reficiens, fortificans & replens, & rogo Te per infinitam bonitatem Tuam, ut mihi hic cibus cæleſtis, ſit ità ſapidus, ut me ſic reficiat efficaciter ac repleat, ut nulla res creata minimè mihi ſapiat, ſed ut mihi Tu ſolus amantiſſime JESU ſemper ſapias, ut mihi ſolus ſis meta deliciarum mearum.

Viſito Te panis viduæ Sareptanæ, ab illa propter Eliam Prophetam, ex modico farinæ præparato & illum nutriens: ſic de farina de qua erat præfatus coctus panis, nihil defuit etiam minimè neque diminutum eſt, ſed de illa tam ſancto

Prophetæ, quàm etiam viduæ Sareptanæ, ad tempus designatum sufficiebat. O JESU sub accidentibus farinæ, jam non viduæ Sareptanæ, sed totius Ecclesiæ Tuæ latens: præsta id gratiosè, ut mihi panis Tuus Sacramentalis, semper sit sufficiens, singulariter in hora mortis meæ!

Visito Te Sanctum Cænaculum, in quo (& non alibi) filium mortuum viduæ Sareptanæ, miraculosè resuscitavit, & ad vitam revocavit præfatus Elias Propheta; & ego tam multoties mortuus sum, per peccata mea, deporta ergo me JESU in Cænaculum Sacramenti Tui, & me ibi omnipotentiâ

Tuâ

Tuâ digneris ad vitam resuscitare, & tandem hôc sanctô cibô, in vitam æternam digneris reficere.

Visito Te misticum oleum omnia vasa pauperis viduæ replens, postea verò ex mandato Eliæ Prophetæ venditum, omnia illius debita persolvens. Persolve etiam bone JESU, Sacramentô Corporis & Sanguinis Tui, omnia debita mea, ut Divinæ Justitiæ, nihil debeam pro peccatis meis. Quodlibet oleum habet in se tres proprietates: inungit, sanat, & nutrit, hoc totum fit in Sanctissimo Sacramento, per quod inungit nos Amantissimus JESUS plenitudine gratiæ suæ,

sa-

ſanat debilitates & morbos animarum noſtrarum, ad extremum reficit & nutrit, nè in via ſalutis noſtræ deficiant. O gratioſiſſime JESU! rogo Te per crudeles alapas tuas, adimple in me hos tres effectus; dignare me inungere plenitudine gratiæ tuæ, dignare ſanare omnes defectus & morbos meos: ad extremùm dignare me enutrire hîs donîs cæleſtibûs, ut in via ſalutis meæ non deficiam.

MODUS XVIII.

Viſitandi Sanctiſſimum Sacramentum, ante meridiem: hic verò modus & alii hic ſubſequentes, erunt per figuras novi Teſtamenti

ex

ex personis humanis, Christum Dominum visitantibus, desumpti.

REx Regum Domine Dominantium, Monarcha Monarcharum Christe JESU compareo hodierna die, coram Sanctissima Majestate Tua, & Te hìc præsentem sub speciebus panis, affectu trium Regum ab ortu solis advenientium, & Te visitantium, quàm humillimè adoro, & visito. Eodem affectu trium Regum, offero Tibi hæc omnia dona, quæ obtulerunt præfati tres Monarchæ. Offero Tibi primò aurum, hoc est: purum & expolitum sicut aurum amorem meum, erga Te, & si hunc amorem meum vides imperfectum,

ctum, aut ad aliquam creaturam proclivem, tunc illum misericors JESU, igne amoris Tui accende, ut fiat ferventior, perfectior & dignus Te. Offero secundò thus, confitendo: quòd sis verus Deus, & Altissimus novi Testamenti Sacerdos. Offero tertiò myrrham, hoc est acerbam Passionem Tuam, quam propter me peccatorem, & salutem totius mundi subire dignatus es, & rogo Te, ut præfatam Passionem Tuam & Sepulturam, per myrrham figuratam semper cũ amaritudine cogitem, & heroicas virtutes penes Passionem Tuam ad exemplum nobis exhibitas, sequar & adimpleam.
Et

Et ſicut tres Reges poſt adimpletam viſitationem Tui in Bethleemitico præſepio per aliam viam reverſi ſunt, in regionem ſuam, ſic ego poſt hodiernam viſitationem meam, per aliam viam, volo redire domum meam, aliam viam vitæ meæ volo inchoare, hoc eſt viam præceptorum Tuorum, & viam iniquitatis volo deſerere, & totaliter derelinquere. Rogo Te igitur JESU, per illam confuſionem Tuam, dum Princeps Sacerdotum Judæorum, publicè Tibi objecit blaſphemiam, demonſtra mihi viam tuam, & ſemitas tuas edoce me, veſtigia mea dirige ſecun-

dùm præceptum tuum, & non dominetur mihi omnis iniquitas.

MODUS XIX.

Visitandi Sanctissimum Sacramentum post meridiem: in persona S. Petri penes Transfigurationem Dominicam præsentis.

CLarior sole JESU, compareo hodierna die coram gratiosissima Majestate Tua, & Te hìc præsentem sub speciebus panis, quàm humillimè adoro, & visito: quinimò hìc Tecum, & penes Te permanere desidero. Quando Amantissime JESU ascendisti in montem nimis altum, accepisti Tecum Petrum, Jacobum, & Jo-

annem Apoſtolos, ubi vix ſteterunt, mirabiliter transfiguratus es ante eos, reſplenduit facies Tua ſicut ſol, veſtimenta autem Tua facta ſunt alba ſicut nix. Videns hanc mirabilem Transfigurationem Petrus Apoſtolus, mox exclamavit: *Domine bonum nobis hìc eſſe, ſi vis, faciamus hìc tria tabernacula; Tibi unum, Moyſi unum, & Eliæ unum.* Altare Corporis & Sanguinis Tui, eſt ingens & ſublimis mons, quia ſublimi Omnipotentiæ Tuæ firmatus ſapientiâ: in hoc monte, illo tempore prima vice transfiguratus es JESU, quando penes ultimam cænam, ſedendo cum Apoſtolis, panem in Corpus,

& vinum in ſanguinem transmutaveras. Ad præſens verò tot vicibûs celebras ſimilem Transfigurationem, quandocunque ſub ſpeciebus panis & vini, cùm ſis DEUS, deſcendis, quoties de pane Corpus Tuum, & de vino Sanguinem Tuum conficis. O mirabilem Transfigurationē in hoc monte Sacramentali, in quo panis Corpus, vinum Sanguis, & DEUS verus Homo efficitur! Revera ſi in hoc monte, & ad hanc Transfigurationem Sacramentalem eſſet modò præſens Moyſes & Elias, non minus mirarentur hoc prodigium, ſicut mirabantur in monte Thabor, & Petrus Apoſto-

lus

lus si fuisset pro præsenti ad hanc Transfigurationem, infallibiliter clamavisset: *Domine bonum est nos hìc esse.* Id ipsum & ego cum Petro Apostolo dilectissime JESU hodie & semper dico: *Bonum est nos hìc esse, bonum est nos hìc esse!* in hoc, & ad hunc montem Transfigurationis Sacramentalis, faciamus hìc tria Tabernacula, unum Tibi ô JESU! secundum animæ meæ, & tertium corpori meo, ut quotidie respiciens mirabilem Transfigurationem Tuam, & ego etiam animam meam, & corpus meum, in meliorem statum transmutem. O JESU! per Tuam mirabilem in Sanctissimo Sa-

cramento Transfigurationem, da mihi hanc gratiam, ut & ego transmuter in Te. Utique Augustino servo Tuo dixisti: *Cibus sum grandium, cresce & manducabis me; non ego mutabor in te, sed tu mutaberis in me.* Hoc ipsum & ego supplico misericordissime JESU, per illas illusiones, contemptibûs plenas, quibus dicebant Tibi inimici tui: *Prophetiza Christe, quis Te percussit:* digneris fieri cibus meus; & dum me gratiosè cibabis, velociter crescam in virtute & perfectione Apostolica, da mihi hoc JESU, ut transmuter in Te, ut Te spirem, ut Te vivam, ad extremum ut dicere possim cũ

San-

Sancto Paulo: *Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Christus:* sub speciebus panis in Sanctissimo Sacramento, ad me veniens!

MODUS XX.

Visitandi Sanctissimum Sacramentum vespere in persona Leprosi.

MIsericordissime JESU, qui Leprosum ad Te confugientem de lepra emundâsti, compareo hodie coram immensa Majestate Tua, & Te hìc præsentem sub accidentibus panis in persona hujus Leprosi, quàm humillimè adoro, & visito. Rogo Te itaque & clamo ex toto corde ad Te cum eodem Evangelico Leproso:

Domine si vis, potes me mundare: potes me mundare per Omnipotentiam Tuam, per infusionem gratiæ sanctificantis, & per alias diversas gratias supernaturales, potes me mundare pluribûs aliîs modís, nimis facilibûs, sed singulariter potes me mundare Sanctissimo Corpore, & Sangine Tuo pretiosissimo, hìc sub accidentibus panis abscondito. Hoc enim mirabilissimum Sacramentum, est lavacrum omnium peccatorum, leprâ infectorum; hæc duo cælestia dona, Corpus & Sanguis Tuus, sicut nobis omnibus felicitatem, benedictionem & vitam conferunt, ità nos emundare possunt: tan-

tùm

tùm ad id unum necessarium est: nempe altissima voluntas Tua; quâ propter benè hic Leprosus Evangelicus, orationem suam proposuit, dicens: *Domine si vis, potes me mundare*: non exigo igitur id omnino à Te bone JESU, ut me secundùm velle meum mundes, non prætendo id, ut sequaris voluntatem meam, & semper illi satisfacias, non expecto, ut me tunc emundes, quando voluntati meæ placet, & videtur, sed omnem emundationem & justificationem meam, subdo totaliter unicæ, altissimæ, sapientissimæ, & profundissimæ voluntati Tuæ Si itaquè amantissime JESU, vis

me mundare, & ego volo mundari; si me vis justificare, & ego volo justificatus esse; si me vis Sanguine Tuo abluere, & ego volo ablutus esse; si me vis Corpore Tuo cibare, & ego volo cibatus esse; si me vis salvare, & ego salvus esse volo: si verò Domine nequè emundationem, nequè justificationem, nequè salutem meam vis, & ego id totum insuper & salutem meam nolo, si id contra voluntatem esse deberet. Sed non amitto spem in inexhauribili misericordia Tua: sicut enim Leproso Evangelico Te adoranti, & Tuæ voluntati se comittenti, gratiosè respondisti: *Volo, ut emunderis*:

Sic

Sic quandocunque & ego Tibi ſupplicabo, infallibiliter certus ſum, quia mihi ſimilem reſponſionem dare dignaberis, quinimò jam non tantùm mihi, ſed nobis omnibus dediſti hanc reſponſionem, in perſona præfati Leproſi. Conformando itaque me Tuæ voluntati, volo mundari, curabo, ut quàm citiùs lepram meam dimittam, vadam itaque ad Sacerdotes Tuos, ſicut Tu ſolus mandâſti, & illis notam faciam leprã peccatorum meorum. O JESU Dilectiſſime rogo Te humiliter per malevolam totius conſilii Judæorum contra Te congregationem, tribue mihi hanc gratiam, ut lepram pec-

ca-

catorum meorum cognoſcam, & illam quàm efficaciſſimè confitear.

DIES VI.
OCTAVÆ SACRATISSIMI CORPORIS CHRISTI.
MODUS XXI.
Viſitandi Sanctiſſimum Sacramentum de mane in perſona Evangelici Centurionis.

EFficaciſſime morborum noſtrorum Medice Chriſte JESU! compareo hodierna die coram immenſa Majeſtate Tua, & Te hìc præſentem ſub accidentibus panis, in perſona Centurionis, quàm humillimè adoro, & viſito. Licèt

cèt verò visitatio mea deberet esse sine omni negotio meo, sed unicè propter amorem & bonitatem Tuam, attamen exemplô Centurionis, audeo si non rogare, tunc saltim enarrare id, quid apud me agatur: *Domine; ecce puer meus, jacet in domo paralyticus, & malè torquetur.* Hic puer meus, primò est corpus meum, quod licèt deberet animæ servire, illi obedire, illius esse mancipium, sæpenumero tamen insurgit contra animam, illius intellectum & voluntatem non audit, sed suas passiones & sensualitates sequitur. In pœnam igitur peccati sui, est paralysi infectum in capite, quia non po-

potest mentem elevare ad DEUM, & non vult, est infectum in labiis, quia de DEO loqui nescit: est infectum in manibus, quia pro gloria DEI laborare non vult, est infectum in pedibus, quia non vult ad ullum bonum procedere, sed velut durus lapis in loco quiescit; est infectum in corde, quia illud ad DEUM elevare semper renuit. Cùm sit itaque infectum in omnibus partibus suis quotidie torquetur, & nullam convalescentiam sentit. Secundò hic puer meus paralysi infectus, est anima mea, quæ licèt sit intellectiva, & libera Domina, attamen frequenter transfundit dominium su-

um in corpus, & cedit juri ſuo, ſeque gubernandam corpori irrationabili permittit & tradit; eò divertendo, quô illam corpus & inclinationes protrahunt, parendo mandatis corporis,, ac habens cum illo ſocietatem, contraxit paralyſim ab illo, longequé major eſt illius morbus, quàm ipſius corporis. Cum hoc itaq; tam magno corporis & animæ morbo, accedo ad Te in Sanctiſſimo Sacramento latentem dilectiſſime JESU, ſed cùm ſit mihi notum id, quia nulla habeam merita, non audeo orationem & ſupplicationem Tibi proponere. Igitur tantum confiteor, quid in domo mea agitur:

Ec-

Ecce puer meus, id eſt corpus & anima mea *jacet paralyticus*, *& malè torquetur.* Relinquo ergo illum liberæ diſpoſitioni Tuæ, fac cum illo quidquid vis Domine: quòd ſi ex incomprehenſibili miſericordia Tua, dabis mihi talem reſponſionem, qualem dederas Centurioni dicens: *Ego veniam, & curabo eum*: adeoqué etiam & ego cum Centurione reſpondeo & dico: *Domine non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum: ſed tantùm dic verbô, & ſanabitur anima mea*: & ſanabitur corpus meum. Nō ſum dignus ex anima, quia hæc magnîs & gravibûs peccatís eſt maculata, non ſum dignus ex corpore, quia hoc eſt contra-

trarium ſemper voluntati Tuæ, non ſum dignus ex ullis meritis, quia hæc nulla habeo, adeoque ex omni parte & menſura, non ſum dignus, ut intres ad corpus & animam meam, ſed tantùm dic verbô & ſanabitur anima mea! Ità credo de Te Domine in Sanctiſſimo Sacramento latens, quòd licèt ad me ſub ſpeciebus panis non deſcenderes, licèt me ſacramentaliter non inviſeres, tamen ſi dixeris verbô, ſalvabitur anima mea. Confirma ergo dilectiſſime JESU hanc fidem meam, & ſicut unô verbô curâſti puerum præfati Centurionis, ſic cura indignam animam meam, per eminentiam

Sacramenti hujus, & per ignominiosam sui manuductionem, ad Pilatum Præsidem.

MODUS XXII.

Visitandi Sanctissimum Sacramentum ante meridiem in persona Principis pro filia sua supplicantis.

OMnipotens mortuorũ vivificator Christe JESU, compareo hodierna die coram im̃ensa Majestate Tua, & Te hìc præsentē sub speciebus panis, affectu Principis, pro filia sua petentis, quàm humillimè adoro, & visito. Cum hoc igitur Principe expostulo misericordiam Tuam dicens: *Domine ecce filia mea modò defun-*

functa est : hoc est anima mea *defuncta* per peccatum! miserere illius, miserere indignæ creaturæ Tuæ! subitaneè defuncta est, quia nunquam mori speravit, mortua est subitaneè, quia nunquam mori parata, improvisè mortua, quia nunquam mori cogitavit. Et ubi aliunde quærenda est illi vita, si non in Sacramento Corporis & Sanguinis Tui? ubi efficacius potest vivificari, si non ad Altare Tuum? ubi poterit redire ad vitam, si non penes latentem Divinitatem Tuam sub speciebus panis? Converte itaque oculum Tuum Domine, in demortuam animam meam, & saltim habe respectum,

& gratiã Tuã, quia filia hæc, ſi-
ve potius anima mea, non an-
te hebdomadam, non ante an-
num, ſed modò primùm ho-
die defuncta eſt. Utiquè Do-
mine velociter adjuvas eos, qui
ad Te ſine mora confugiunt.
Ecce igitur ego vix anima mea
deſiit vivere, quàm primùm
defuncta eſt per peccatũ, mox
notum facio Tibi, & proteſtor
coram Te dicens: *Domine ec-
ce filia mea modò defuncta eſt*: &
defuncta non morte conſveta,
nõ morte com̃uni, nõ morte ſe-
cundùm corpus, ſed morte ſe-
cundùm ſpiritũ: defuncta enim
per amiſſionẽ gratiæ ſanctificã-
tis, defuncta per perditionem
participationis naturæ Divinæ,

functa per deperditionem juris ad Regnū cæleste, defuncta est per id, quia facta est inimica DEI, ad extremum defuncta est per id, quia facta est serva & mancipium dæmoniorum. O quàm terribilis est hæc mors! quæ nos exheredes facit Regni cælorū, & facit mancipia diabolica! Et tali morte defuncta est anima mea hodie, & multoties moriebatur, miserere illius DEUS, permitte illam redire ad vitam, restitue illi gratiam sanctificantem, & justificantem; fac illam denuò capacem hereditatis Regni cælorū, & servitutem dæmoniorum ab illa alienare digneris, per illos omnes contemptus, quos

tolerâsti, coram judicio Pilati, impone illi tantùm manum Tuam; & credo firmiter, quia hôc momentô recipiet vitam, & Tibi DEO in Sanctissimo Sacramento latenti, quotidie hìc serviet, & assistet.

MODUS XXIII.

Visitandi Sanctissimum Sacramentum post meridiem, in persona mulieris Chananeæ.

INvictissime dæmonum & totius inferni Triumphator Christe JESU, compareo hodierna die coram triumphali Majestate Tua, & Te hìc præsentem sub speciebus panis, affectu mulieris Chananeæ, quàm humillimè adoro & visito.

fito. Vivificâsti Domine Corpore & Sanguine Tuo jam defunctam per peccatum filiam, id est. animam meam, fecisti eam heredem cæli, & ecce vix assecuta est Tuam gratiam, & misericordiam; en statim inimicissimus saluti humanæ infernus, illam vexat, infestat & violenter urget, ut voluntatẽ ejus sequatur, & illius tentationibus consentiat. Et sic ex una parte vexat hanc filiam meam dæmonium superbiæ, ex altera dæmonium gulæ: ex una dico parte: insequitur eam dæmonium, obstinationis, iræ, odii, invidiæ, & avaritiæ; ex altera insequitur luxuriæ, acediæ ad laudem Tui, & ad sa-

tisfaciendum firmiter propositis. In his itaque tam magnis bellis, incursionibus & tentationibus, cum muliere Chananæa exposco misericordiã Tuã, & audeo de corde clamare ad Te: *mis rere mei Domine Fili David!* Filiam, hoc est: animam meam vexat dæmonium, torquet, tentat, & ad malum inducit: prosterno me igitur coram Majestate Tua, & rogo Te Domine, adjuva me, ut tam magnas insidias & incursus dæmonum possim vincere, prosternere & frangere. Verum est, sicut ipse dixisti mulie i Chananææ, quòd non sit bonum & justum, accipere panem filiorum tuorum, hoc

est Sanctissimum Sacramentum & dispergere illud canibus, id est peccatoribus; sed ego cum hac muliere Chananæa, respondeo in humilitate cordis mei: *O Domine utique & catelli edunt & vivunt de micis, quæ cadunt de mensa Dominorum suorum.* Utique igitur & ego vilissima catellis & indignissima creatura spero summè in misericordia Tua, quia me ad micas mensæ Tuæ appositas Sanctissimi Sacramenti admittes, & filiam, hoc est: animam meam ab incursionibus dæmoniorum hâc horâ eliberabis. Elibera me quàm citissimè, amantissime JESU, & rogo Te per illum dolorem, quem habuisti, dum

ducebaris ad Herodem, & ibi ab illo & toto exercitu illius illuſus fuiſti, da mihi fortitudinem & dexteritatem, ut à dæmonio mihi infenſiſſimo nunquam frangi & ſuperari poſſim.

MODUS XXIV.

Viſitandi Sanctiſſimum Sacramentum veſpere, in perſona Evangelicæ Sponſæ, cui Rex cum Filio ſuo fecit nuptias.

VIx compareo hodie coram Altari Sanctiſſimi Corporis & Sanguinis Tui, ſtatim videtur mihi, ac ſi venirem ad nuptias, quas Evangelicus Rex fecit filio ſuo. Rex hic Evangelicus faciens nuptias, eſt Pater Æternus, convi-

vi-

vium nuptiale est Sacramentũ Corporis & Sanguinis Christi, Sponsus est ipse Christus JESUS, sponsa Illius est anima Christiana. Recollige itaquè & recogita anima mea, quàm nobilis! quàm dignus! quàm sublimis est Rex iste & Monarcha, qui Te desponsat Filio suo: Considera secundò, quàm pretiosum, benignum, superabundans, & magnificum sit, convivium nuptiale, quod tibi in tuam dispositionem, in Sacramento Corporis & Sanguinis JESU est præparatum! Considera tertiò, & ipsam te respice anima mea, quàm abjecta sis, misera & vilis, & nullam non tantùm æqualitatem,

sed

ſed & proportionem habens ad tam dignum Sponſum ! attamen quotiescunque ad hoc accedis Sacramentum , quotiescunque illud viſitas, toties tibi Pater Æternus nuptias facit , & te Filio ſuo in ſacramentalibus accidentibus latenti deſponſat. Si igitur hactenus ignorabas anima mea,quomodò debeas eſſe præparata ad deſponſationem cum Filio Patris Abæterni Chriſto Domino : Reſpice ergo Illum , qualiter ad te veniat, ut tu cures Ipſi eſſe ſimilis. Hic ergo Sponſus Chriſtus JESUS in Sanctiſſimo Sacramento latens , venit ad te humilis , gratioſus , miſericors, patiens , inimicis ſuis parcens,

pro

pro illis orans, illos ſuſcipiens, & illos ſua carne nutriens, adeoque & tu anima mea, ſi vis Illi eſſe ſimilis, cura propter Illum humilitatem, benignitatem, miſericordiam, ſilentium, patientiam, remiſſionem omnibus peccatoribus & inimicis tuis & alias virtutes ſimiles, quæcunque in Illo reperiuntur. Hic Sponſus tuus ſolus eſt pulcherrimus, ſolus ſanctiſſimus, ſolus ditiſſimus, ſolus digniſſimus, ſolus nobiliſſimus, ſolus excellentiſſimus, & talis, ſupra quem non eſt dignior, excellentior & ſublimior ſponſus! Conveniens igitur eſt & infallibiliter neceſſarium, ut coram tam excellenti, ſancto,

cto, & digno Sponso, quàm pulcherrima, quàm purissima & sanctissima compareas. Quòd si tibi, ad pulchritudinem internã aliquid deest, tunc penes hodiernam visitationem te ablue, & lava Sanguine JESU, & reficias Corpore Ejus, & defactò sole clarior, cælô serenior efficieris. O Altissime Rex cæli & terræ Pater Æterne! qui Unigenitum Filium Tuum Christum JESUM, toties animæ meæ in Sanctissimo Sacramento desponsâsti, supplico humiliter infinitæ bonitati Tuæ, ut animam meam, ex se indignã, vilem, & omni contemptui ex natura sua subjectam, facias dignam, tam dignô Sponsô! O JE-

JESU! qui in desponsatione animarum nostrarum Tecum unicum habes delicium, rogo Te per sanguineam flagellationem Tuam, quam passus es, propter salutem nostram tribue mihi hanc gratiam, ut semel pro semper Tibi desponsatus, nunquam hæc sponsalia dissolvam.

DIES VII.

OCTAVÆ SACRATISSIMI CORPORIS CHRISTI.

MODUS XXV.

Visitandi Sanctissimum Sacramentum manè in persona S. Magdalenæ.

GRatiosissime pænitentium De-

Defensor Christe JESU, qui Magdalenam in domo Simonis leprosi Te visitantem, benignè suscepisti, visito & ego Te hìc sub speciebus panis præsentē, affectu ejusdem Magdalenæ, jam non in domo Simonis leprosi, sed in domo Ecclesiæ Tuæ; rogo Te, dignare hanc visitationem meam indignam, benignè suscipere. Procido cum Magdalena, ad Sanctissimos pedes Tuos, osculor Illos millenîs vicibûs cordiali affectu, rigo illos indignîs lacrymîs meîs, pro peccatis meis quandocunque commissis, & hucusque ab Illis non recedā, quousque antiquæ vitæ non abrenuntiabo: quousque ad pedes

des tuos non convertar, quousquè totaliter & plenè Tecum in me iratum, non conciliabor. Magdalena venit Te visitare, tempore convivii, tempore tractamenti propter Te & Discipulos tuos præparati, & statim satis abundè satis opulenter, satis largissimè recepta & tractata est, & conversa ad Te! Ast ubi potest esse majus, nobilius & excellentius conviviũ, quàm in Sacramento Corporis & Sanguinis Tui? tribue ergo mihi dilectissime JESU, ut anima mea tam salutari possit frui convivio, ut in æternum famem atq; sitim non patiatur. Magdalena penes visitationem Tui attulit

pretiosa ungventa, & illîs inunxit pedes tuos, ego non habeo quidquam pretiosius, præter Sanctissimum Corpus & Sanguinem Tuum, pro me penes Passionem tuam, effusum. Igitur Tibi hoc utrumque offero, in satisfactionem pro peccatis: Magdalena penes visitationem Tui, in domo Simonis leprosi, audivit remissionem peccatorum suorum, dum dixeras: *dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* O quàm ego essem felix! si penes hodiernam visitationem Tui in Sanctissimo Sacramento latentis, possim obtinere remissionem peccatorum meorum! sed quia parum dilexi Te, igitur re-

remissione parva dignus sum. Rogo Te itaquè, ut Te tantùm diligam, quantùm dilexit Magdalena, & deindè æquè cum Magdalena concedere digneris mihi remissionem peccatorum! O peccatrix anima mea, excita in te quàm maximum erga DEUM Tuum, in Sanctissimo Sacramento latentem, amorem, & secundùm mensuram dilectionis, & amoris erga Illum, recipies plenã peccatorum remissionem. O JESU im̃ensi amoris! amo Te, propter Te unicum & solum! tantùm amo, quantùm dignus es! amo Te ità, sicut amavit Magdalena, sicut Te amârunt omnes fideles, & ferventes Di-

lecti tui! Et quidquid adhuc deest amori meo erga Te, rogo Te per crudele Decretum in mortem Tui prolatum, ab iniquo Judice, adjuva me, ut Te plenè & infinitè amem.

MODUS XXVI.

Visitandi Sanctissimum Sacramentum ante meridiem, locò omnium illorum, qui se de magna Cæna excusarunt.

DOmine JESU Christe, qui nobis in Altari Novi Testamenti, magnam cænam præparasti, sed invitati ad illam unanimiter noluerunt venire, & se adinvicem excusârunt. Compareo ego hodie coram Te, & visito Te, pro

illis omnibus hoſpitibus de tua Cæna ſe excuſantibus, & rogo Te, ut me præfatæ Cænæ tuæ facias participem. Hæc enim magna Cæna tua, nihil aliud eſt: quàm Sanctiſſimum Sacramentum Corporis & Sanguinis Tui, ad hanc igitur Cænam venio, ad Cænam feſtinans propero, hanc Cænam magnam deſidero! O revera magna hæc Cæna eſt, quia à Te ſummo & immenſo DEO inſtituta & facta. Magna hæc Cæna, quia mirabilî modô facta, quia totum Omnipotentiæ Divinæ opus in ſe continet, quia totum DEUM & Hominem in ſe claudit! Magna procertò Cæna, quia communis omnibus eſt,

tam parvis quàm magnis; tam divitibus quàm pauperibus; tam justis quàm peccatoribus, si de peccatis suis pœnitentiam agant. Magna Cæna hæc, quia magnô pretiô Sanguinis Tui comparata, quia & ingratis & nulla merita habentibus facta, ante sæcula præparata & prævisa. Quoniam ergo præfata Cæna Corporis & Sanguinis Tui, tam magna est, mirabilis abæterna & pretiosa, igitur similî modô, magnam fidem magnũ amorem, magnã spem magnam præparationem, magnum affectum, humilitatem & reverentiam exigit. Et respicisnè id barbara ingratitudo humana? valde raró, aut nun-

nunquã: quando enim Dilectissime JESU, præparasti hanc Cænam magnam Tuam, & jussisti servos tuos, ut hospites ad illam invitarent, & ecce ex illis, unus cæpit excusari dicens: *Villam emi, & necesse habeo, exire & videre illam*, alter dixit: *juga boûm emi quinque, & eo probare illa*; tertius dixit: *Uxorem duxi, & ideo non possum venire ad hanc Cænam; rogo Te, habe me excusatum.* Quidquid hi invitati Hospites fecerunt, id ego facio frequenter, vocas me bone JESU per internos instinctus tuos, ad tam magnã & inæstimabilem Cænam tuam, & ego temporalibûs negotiîs, & vanîs necessitatibûs, inaniter

ter me excuso: de die in diem, de hebdomada ad hebdomadam, de mense in mensem, differo præsentiam meam pro Cæna tua. Doleo de hoc modò benignissime JESU, statuo firmum & immutabile propositum, quod ab hinc nunquã, à tam excellenti Cæna me excusabo, imò de die in noctem, me ipsum ad illam alliciam, movebo & excitabo. Accende me ad id bone JESU, per denudationẽ Tui de vestimentis tuis, per crudelem coronationem tuam, & per omnes illusiones, contemptus, & subsanationes, quas perpessus es ab iniquis militibus, post Decretum Pilati, & omni vocatio-

tioni tuæ, volo ſemper eſſe obediens.

MODUS XXVII.

Viſitandi Sanctiſſimum Sacramentum poſt meridiem in perſona Filii Prodigi.

AMantiſſime omnium noſtrûm Pater, Chriſte JESU compareo hodierna die coram immenſa Majeſtate tua, & Te hìc præſentem ſub ſpeciebus panis, cum Filio Prodigo quàm humillimè viſito. Sicut enim ex levitate receſſi à Te, ità iterùm redeo ad Te. Confiteor culpam meam, quòd acceperim magnã ſubſtantiam à Te, ſuſcepi à Te Sacramentum S. Baptiſmi, educationem

in fide Catholica, illustrationes quotidianas in intellectu, voluntate & memoria, gratias supernaturales permanentes, & transeuntes, & alia cælestia dona, præter hæc recepi incitamentum internum ad bonū, vocationem ad statum meum, & auxilia cælestia huic statui servientia; hîs igitur & aliîs beneficiîs sine numero receptîs, recessi in regionem longinquam à Te, & omnia præfata bona, per peccata & insolentias meas deperdidi, dissipavi & dispersi. Hîs omnibûs factîs, summam patior famem, privatus gratiâ tuâ, esurivi, & nemo mihi porrexit fragmentum panis, sitivi, & ne-
mo

mo voluit extinguere sitim meam. Pascens porcos, id est: dissolutas & luxuriosas passiones meas, desiderabam saltim de siliquis refici, quæ porrigebantur porcis, & id erat mihi difficile: attentô itaquè & perspectô hôc, quòd malè fecissem, quid igitur facturus sim? ecce cum lacrymis & fletu, mihi clamandum est, & dicendum: *O quàm multi operarii sunt in domo Patris mei*, hoc est: in Ecclesia Catholica, qui abundant panibûs in Sanctissimo Sacramento, & ego hìc fame pereo! surgam, & ibo ad Patrem meum, & dicam illi: *Pater peccavi in cælum & coram Te, jam non sum dignus vocari filius*

lius tuus, fac me, & constitue sicut unum ex mercenariis tuis. Ostende igitur Clementissime Pater, tuam mihi misericordiam, recipe me iterum ad Te, licèt prodigum Filium, jube adferri stolam novam, & illâ cooperi nuditatem meam, jube annulum pretiosum adferri, & impone illum clementissimè manibus meis, ut sic desponsatus Tibi, nunquam amplius à Te recedam, jube adferri & calceamenta pedibus meis, ut pedes mei non ambulent vias prohibitas, sed ut semper hanc viam frequentent, quam Tu pro semper mihi demonstrâsti. Ad ultimum Clementissime Pa-

ter fac mecum id , quod fecit Evangelicus Pater , cum Filio ſuo prodigo , fac mihi abundans convivium , jam non de bove pingvi , ſed de Sanctiſſimo Sacramento Corporis & Sanguinis JESU , & dum hôc cibô & potu cœleſti fruar, jam ab hinc nulla res creata , guſtui meo placebit. O JESU ! ſub pondere peccatorum Filiorum prodigorum in montem Calvariæ procedens , rogo Te per hanc ipſam , & crudelem Crucifixionem tuam , enutrias me Te Ipſo tam efficaciter , ut nullam in æternum noſcam famem.

MODUS XXVIII.

Visitandi Sanctissimum Sacramentum vespere in persona Publicani.

MIsericordissime JESU, qui contritum cor & & humiliatum non despicis, compareo hodierna die coram immensa Majestate Tua, & Te hìc præsentem in Sanctissimo Sacramento quàm humillimè, affectu Publicani adoro, & visito. Sed quia notæ sunt mihi iniquitates meæ, & sciam valdè benè, quòd quotidiana peccata mea, defectus, & imperfectiones, superent numerum arenæ maris & capillos capitis mei, exinde non audeo, & pertimesco propiùs Thronum

Tu-

Tuum Divinum accedere, ſed à longe cum Publicano Evangelico, percutiendo pectus meum, affectu illius dico: *DEUS propitius esto mihi peccatori*: Esto propitius frigidæ, & tepidæ visitationi meæ; esto propitius frigidis communionibus meis; esto propitius ſuper hoc, quòd Te non tam dignè, ferventer & ſicut oporteret in Sanctiſſimo Sacramento ſuſcipio; veneror, & adoro; esto propitius & ſuper hoc, quòd tunc dum excitor de ſomno, non ſtatim venio, ad adorandum magnum Sacramentum Corporis & Sanguinis Tui: esto propitius imperfectis & tardis confeſſionibus meis; esto pro-

pi-

pitius imperfectæ contritioni pro peccatis meis; eſto propitius debilibus, infirmis & inſtar venti tranſeuntibus propoſitis meis, & digneris mihi conferre gratiam Tuam, ut inpoſterum, ſim conſtans, fortis, & nunquam vincibilis in propoſitis meis; eſto propitius tardis exercitiis, profectibus & implendis officiis ſtatûs & vocationis meæ; eſto propitius, tam frequentibus recidivationibus meis, ad antiqua & grandia peccta mea. Eſto propitius non tantùm mihi peccatori, ſed & his qui ad meam poteſtatem, legem, juriſdictionem, & gubernium pertinent. Eſto propitius & illis, quibus debe-

deberem propter amorem tuum esse exemplum, & illis factus sum in scandalum. Esto propitius inimicis meis, quos secundùm doctrinam tuam debuissem amare propter amorẽ tuum, & ego illis tam multa odii signa ostendi. Esto propitius omnibus Christianis & servis tuis, & acende illos radiis gratiæ Tuæ, ut Te in Sanctissimo Sacramento latentem, quàm fervidius adorent, glorificent, & visitent. Quia verò Dilectissime JESU ad visitandum Te veni huc in persona Publicani, igitur procumbens coram Majestate tua, rogo Te per depositionem Sacratissimi Corporis Tui de ligno

Crucis, ut impleatur in me id, quidquid impletum est in Publicano: ille etenim secundùm edictum & testimonium tuum, reversus est in domum suam justificatus: Igitur & ego à Te aliter abire nolo, tantummodò justificatus, tantummodò de peccatis emundatus, & gratiâ Tui abundanter repletus.

DIES VIII.
OCTAVÆ SACRATISSIMI CORPORIS CHRISTI.

MODUS XXIX.

Visitandi Sanctissimũ Sacramentum manè in persona Evangelici Cæci.

INdeficiens & illuminans omnem hominem Lux Chri-

Christe JESU, compareo hodierna die coram immensa Majestate tua, & Te hìc in Sanctissimo Sacramento in persona Cæci Evangelici secùs viam sedentis, præsentem quàm humillimè adoro, & visito. Quid enim aliud est quilibet homo, in hoc mundo vivens? si non ille Cæcus secùs viam sedens, & misericordiam à prætereuntibus exposcens. Et si omnes homines, multò magìs ego tenebris involutus & obcæcatus dici possum: & re ipsa cæcus sum! cæcus sum in voluntate mea, quia id appeto, quod mihi nocet; id effugio, quod mihi est utile; id volo, quod DEUS non vult; & illud nolo,

quod DEUS vult; id amo, quod me occidit in anima; id odio habeo, quod mihi vitam dat, & me vivificat. Cæcus ſum in memoria, quia non recordor tot magnorum beneficiorum tuorum, quæ mihi per totam vitam præſtitiſti, & hactenus præſtare non ceſſas: cæcus adhuc ſum in memoria, quia non recordor inferni & terribilium pœnarum illius, finem nunquam habentium. Cæcus adhuc ſum in memoria, quia non recordor terribilium judiciorum tuorum, ad quæ infallibiliter præſentabor, & comparebo. Cùm ſim itaque cæcus, proinde cum Cæco Evangelico ſecùs viam ſedente

cla-

clamo ad Te: *JESU Fili David miserere mei! JESU Fili David miserere mei!* Si verò Dilectissime JESU interrogabis me, & dices: quid vis, ut faciam tibi? quàm humillimè respondeo: non est mihi opus honoribus, quia omnes transeunt; non est mihi opus divitiis, quia hæ fallunt; non est mihi opus laude humana, quia hæc vilis; non est mihi opus ulla re temporali, insuper etiã sanitate ipsa: sed id tantùm rogo, & supplico Tibi cum Evangelico Cæco: *Domine ut videam*: ut videam, quid Tu sis, & quid ego sum: ut videam, quàm mirabilis sis in Sanctissimo Sacramento: ut vide-

am, & cognoſcam, quàm multas gratias, & beneficia receperim totâ vitâ meâ in hoc Sacramento; ut videam, quàm magnus ſit amor tuus, cùm enim ſis immenſus DEUS! ſub ſpeciebus panis dignatus es latere; ut videā viva fide, quod quanquam ſenſibus meis appareant mihi eſſe hìc accidentia panis, attamen Tu, cum Divinitate tua hìc præſens es: ut videam, quàm multoties indignè acceſſerim ad hoc Sacramentum, quàm magna dignus ſim pœna pro eo: ut videam, quomodò debeam præparari, ad hoc Sacramentum, quanta cum humilitate, fervore, &

devo-

devotione mea illud visitare: ut videam, quid debeam tam magno Sacramento. Unô verbô rogo Te JESU, per inunctionem pretiosîs aromatibûs Sanctissimi Corporis Tui, ante gloriosam Sepulturam Tuam, ut videam, qualiter Te debeam in hoc Sacramento adorare, venerari, amare, glorificare, & Tibi quotidie servire. Instrue me Dilectissime JESU, edoce, & illumina tam efficaciter cæcitatem meam, ut nunquam ad illam revertar. *Illumina Domine oculos meos, nè unquam obdormiam in morte, & nè quando dicat inimicus meus, prævalui adversùs eum.*

MODUS XXX.

Visitandi Sanctissimum Sacramentum ante meridiem, in persona Zachæi.

LArgissime laborum nostrorum Remunerator Christe JESU, compareo hodierna die coram im̃ensa Majestate tua, & Te hìc præsentem in Sanctissimo Sacramento, affectu alacris Zachæi, quàm humillimè adoro, & visito. Vix comparuit Zachæus corã contecta, velamine Corporis humani Majestate Tua, mox illi & universæ domui annuntiâsti salutem: procido igitur & ego coram Majestate tua, & rogo Te, ut etiam & meæ toti do-

domui, annunties ſalutem. Domus mea imprimìs, eſt anima mea, eſt miſerum corpus meum, ſunt omnia membra corporis mei; his itaque omnibus, ſed ſingulariter animæ meæ, hac largitate tribue ſalutem, quâ tribuiſti prompto Zachæo. Id autem ut efficacius obtineam, ſequor exemplum Zachæi, & ſtatim reddo quadruplum, in quocunque aliquem defraudavi. Et imprimìs defraudavi Te ipſum: quia Te in Sanctiſſimo Sacramento non viſitabam, & debitum Tibi honorem non præſtabam. Igitur me totum reddo, per hodiernam viſitationem immenſæ Majeſtati Tuæ. Defraudavi ſecundò

me ipſum, & animam meam, quia ad menſam tuam Sanctiſſimô Sacramentô inſtructam non accedebam, ità ſicut debui, & oportebat, ſed multoties elegi de ſiliquis mundanæ vanitatis, quàm de cæleſti cibo Tuo nutriri. Defraudavi tertiò proximos meos, quia illos ad ferventem devotionem erga hoc tam magnum Sacramentũ non alliciebam, imò per negligentiam, tepiditatem, & pigritiam meam, tam multos fortè retraxi, à zeloſa devotione erga hoc Sacramentũ. Defraudavi quartò animas in purgatorio detentas, quæ multoties expectabant, ut in illarum velociorem liberationem accederem ad Corpus

pus & Sanguinem Tuum, & ego id tam multoties neglexi. Defraudavi quintò Angelos Sanctos, & omnes ſpiritus cæleſtes, qui deſiderarent ſemper me inſpicere pœnitentem, & his myſteriis fruentem videre. Defraudavi totã Sanctiſſimam Trinitatem, quæ exinde majorem haberet honorem, ſi frequenter dignè & devotè ad hæc myſteria accederem. Ad ultimum defraudavi totam Ecclesiam DEI, cujus ſpiritualis theſaurus, ſicut ex aliis bonis operibus ſpiritualibus, ità & ex zeloſa devotione erga hoc Sacramentum creſcit, & ego id totaliter neglexi. Igitur commiſſis hîs magnîs injuriîs,

cum

cum prompto Zachæo reddo quadruplum adæquatum, per modernam visitationem, quemcunque in aliquo defraudavi; simul firmiter propono, quia ad mysteria Corporis & Sanguinis Tui, ferventiùs, devotiùs & frequentiùs accedam: & si ipse id præstare non potero, & adimplere, tunc saltim alios alliciam, ut Te DEUM meum in Sanctissimo Sacramento latentem, venerentur, adorent, ament, magnificent, quotidie Mensam Tuam accedant. Rogo Te itaque dilectissime JESU, per Sepulturã & Sepulchrum Tuum, in quo post mortem tuam, fuisti depositus, digneris me adjuvare,

ut hoc totum adimpleam, quod propono, & ut me toto corde, & affectu ſepeliam, penes Sanctiſſimum Sacramentum Tuum.

MODUS XXXI.

Viſitandi Sanctiſſimum Sacramentum poſt meridiem in perſona Evangelici Infirmi.

DOmine JESU Chriſte, qui non tantùm recentes ſed vel maximè inveteratos morbos animarum noſtrarum, ſanare potes, compareo hodierna die coram Omnipotenti Majeſtate Tua, & Te hìc in Sanctiſſimo Sacramento præſentem in perſona Infirmi inveteratum morbum habentis, quàm humillimè adoro, & viſito.

to. Teſtatur Sanctus Joannes Evangeliſta, quòd Jeroſolymis fuerit certa piſcina Bethſaida, appellata, quinque porticus habens, in his itaque porticubus, erat magnus numerus hominum infirmorum, debilium, cæcorum, claudorum, & aridorum expectantium motum aquæ. Angelus autem Domini, deſcendebat ſecundùm tempus ad præfatam piſcinam; & movebatur aquâ, qui igitur primus deſcendit ad piſcinam poſt commotionem aquæ, ille ſanabatur ab omni infirmitate. Erat etiam ad hanc piſcinam quidam homo triginta annorũ & octo exiſtens in infirmitate ſua, attamen non erat ſanatus;

Hunc

Hunc dum videret Dominus JESUS decumbentẽ, & agnosceret, quòd tam pridem infirmaretur, dixit illi: visnè esse sanus? respondit ille languidus & infirmus homo: Domine hominẽ non habeo, ut tunc dum com̃ovetur aqua, adferat me, & mittat in piscinã, dum enim ego venio ad piscinam, & volo intrare illam, alius me antecedit, & sic ille sanus fit, ego infirmus permaneo. Quidquid quondã actum est cum illo infirmo & languido homine, ad piscinam Jerosolymitanam decumbente, hoc totum fit mecum. hæc enim piscina Jerosolymitana, quinque porticus habens, designabat, & figurabat

bat Christum JESUM in Sanctissimo Sacramento latentem, quinque vulnera habentem, & & de illis sanguinem propter salutem humanam abundè effundentem; hæc piscina designabat Sanctissimũ Sacramentum, jam non simplicî aut stabilî aquâ, sed Sanguine JESU adimpletum, sicut enim qui primus ingressus est piscinam Jerosolymitanam, semper sanus fiebat, sic qui viva fide, accedit ad Sanctissimum Sacramentum, semper sanus fit. Ad hanc mysticam piscinam, sive potius immensum mare Sanctissimi Sacramenti, statim ab initio Novi Testamenti, erant tam multi infirmi, debiles, cæci,

ci,, claudi ; & variis defectibûs affecti, ex his omnibus magnus numerus factus est sanatorum; ego tantùm unus, per tam multos annos decumbo, ad hanc Sacramentalem piscinam, & hactenus non sum factus sanus! & qua de causa? ecce de hac, quia sum imbecillis, & infirmus in propositis meis, quia sum piger, somnolentus, & tepidus: & permitto alium antecedere me, ad hanc mysticam piscinam, sicut quondam permisit se, ut ab alio antecedatur, præfatus infirmus Evangelicus, ad ultimum quia non habeo sincerã, vivam & ferventem propriam applicationem, per quam con-

fugerē ad exhauriendas aquas vivas de hac mirabili piſcina Sanctiſſimi Sacramenti, ſed expecto, donec me aliquis adducat, aut tempus & conſvetudo alicujus loci juſſerit: & ſic quando me movet conſcientia mea, quia tam magnum theſaurum non curo, excuſor ſæpenumero: *Domine hominem non habeo*; non habeo Ducem talem, qui me moveret, & excitaret ad id. Sicut ergo benigniſſime JESU infirmum Evangelicum ad ſanitatem excitâſti, & deduxiſti, quanquam ille per triginta & octo annos, in infirmitate decumbens, ipſemet non daret operam, ad ingreſſum in piſcinam: ſic me

per

per conſtitutã ad Sepulchrum tuum cuſtodiam, digneris excitare, ad curandam ſanitatem in anima mea, quamvìs per tam multos annos, in habitibus vitiorum meorum decumbam, & non curo diligenter ad eradicandos illos. Dic ergo mihi JESU, ut reſurgam, & elevem ſtratum habituum vitioſorum meorum, & ambulẽ pedibûs meîs. Hoc dum efficies dilectiſſime JESU, ego in inſtanti de habitibus meis reſurgam, abjiciam lectum peccatorum meorum, in quo tam diu decumbebam, & ab hinc quotidie ambulabo viam mandatorum tuorum, dicens cum Sancto Propheta: *Viam man-*

datorum tuorum cucurri, & direxi; cùm dilatâsti cor meum!

MODUS XXXII.

Visitandi Sanctissimum Sacramentum in persona Reguli Evangelici.

DOmine JESU Christe, qui nullam creaturam tuam, quamvìs vilissimam despicis, sed semper paratus es ad illam descendere, eam visitare, & apud ipsam manere: compareo hodie coram im̃ensa Majestate Tua, & Te hìc in Sanctissimo Sacramento præsentem, affectu Reguli Evangelici, quàm humillimè adoro, & visito. Et nihil aliud peto, nisì id, quod petivit Regulus Evangelicus, id est, hoc, ut e-

tiam ad me deſcendas JESU, ut etiam ad me divertere velis, ut etiam apud me permaneas aliquantulum. Invito autem Te Clementiſſime JESU, ad tabernaculum & domū meam non hoc fine, quaſi verò cenſerem, quòd ad ſanandum me, aut domeſticos meos, omnino neceſſaria ſit præſentia Tua (ſicut quondam Regulus Evangelicus putabat) ſed potiùs hoc fine invito Te ad me, ut tabernaculū manſionis meæ ſanctifices, & benedicas, & Eccleſiam Tibi de illo efficias. Dum Sacratiſſima Virgo MARIA Mater Tua venit quondã viſitare Eliſabeth, pro tam magna felicitate ſibi id computa-
 vit,

vit, ut cum magna admiratione exclamâsset: *Et unde hoc mihi, quòd Mater Domini mei veniat ad me?* multò magìs ego mihi pro magna felicitate computabo, & benedictione summa mea, quando Bone JESU ad me venies, revera justè dicam: *& unde hoc mihi, quòd Dominus meus & DEUS meus veniat ad me.* Veni itaq; quàm citissimè, amantissime JESU, & me visitatione tua per quietem tuam in Sepulchro, ad diem tertiam, & per gloriosam Resurrectionem Tuã, pro tota vita mea, & futura æternitate benedicas. Ad ultimùm benedicas & Octavæ meæ, per hoc tempus peractæ, & adde mi-

mihi ulteriorem gratiam ad id, ut illam in honorem & cultum Sanctissimi Sacramenti, possim per totum continuare annum, & peragere salutariter, Amen.

DISPOSITIO
OCTAVÆ SACRATISSIMI CORPORIS CHRISTI.

Pro toto anno.

Quidquid hic porrectum est, exinde patet evidens modus, quomodò peragenda sit Octava Saratissimi Corporis Christi, & quomodò visitandum sit quotidie Sanctissimum Sacramentum, per præfatam Octavam. Modò restat ostendendũ & disponendum, quomodò uti debeamus hoc ipso, non tantùm per

totam Octavam Sacratissimi Corporis Christi, sed etiam per totum annum? Ad hoc respondeo, & talem trado doctrinam. Finita visitatione Sanctissimi Sacramenti per octo dies Octavæ Corporis Christi, & per totum hoc tempus suo ordine per positos hic pro qualibet die modos, & perrecitatîs orationibûs, iterùm de novo inchoanda est visitatio Sanctissimi Sacramenti, per alios octo dies, & penes hanc visitationem, recitandi sunt ab initio positi modi, sive orationes: finitîs hîs secundîs octo diebûs visitationis Sanctissimi Sacramenti, inchoandi sunt iterùm similî modô alii tertii octo dies, & sic faciendum per totum annum. Qui hoc exequetur, & faciet, in re ipsa celebrabit O-

ctavam Sacratissimi Corporis Christi, per totum annum: quando per totum annum, ità visitabit Sanctissimum Sacramentum, sicut Illud visitabat, per Octavam Sacratissimi Corporis Christi, ulterius sequitur, quod eôdem ipsô quod hìc porrectum est, pro octo diebus Octavæ Sacratissimi Corporis Christi, quilibet quotidie potest uti, totô annô, si vult esse devotus, erga Sanctissimum Sacramentum.

PSALMI
DE
SANCTISSIMO
SACRAMENTO.

PSALMUS XIX.

Exaudiat te Dominus in die

tribulationis : protegat te nomen DEI Jacob.

Mittat tibi auxilium de Sancto : & de Sion tueatur te.

Memor ſit omnis ſacrificii tui , *Corporis & Sanguinis JESU* & holocauſtum tuum , *de Corpore & Sanguine JESU factum* pingve fiat.

Tribuat tibi ſecundùm cor tuum : & omne conſilium tuum confirmet.

Lætabimur in ſalutari tuo : & in nomine DEI noſtri magnificabimur.

Impleat Dominus omnes petitiones tuas : nunc cognovi quoniam ſalvum fecit Dominus Chriſtum ſuum.

Exaudiet illum de cælo ſancto

cto suo: in potentatibus salus dexteræ ejus.

Hi in curribus, & hi in equis: nos autem in nomine Domini DEI nostri invocabimus.

Ipsi obligati sunt & ceciderunt: nos autem surreximus & erecti sumus.

Domine salvum fac Regem: & exaudi nos in die, quâ invocaverimus Te.

Gloria Patri & Filio *&c.*

PSALMUS XXII.

Dominus regit me, & nihil mihi deerit: in loco pascuæ ibi me collocavit,

Super aquam refectionis educavit me: animam meam convertit. De-

Deduxit me ſuper ſemitas juſtitiæ : propter nomen ſuũ.

Nam & ſi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala : quoniã tu mecum es.

Virga tua & baculus tuus : ipſa me conſolata ſunt.

Paraſti in conſpectu meo menſam *Sanctiſſimi Sacramenti Corporis & Sanguinis Chriſti* : adverſus eos qui tribulant me.

Impinguâſti in oleo caput meum : & calix meus inebrians me *ſanguine Chriſti* quàm præclarus eſt.

Et miſericordia tua ſubſequetur me : omnibûs diebûs vitæ meæ.

Et ut inhabitem in domo Domini : in longitudinẽ dierũ.

Gloria Patri & Filio *&c.*

PSALMUS CI.

Domine exaudi orationem meam : & clamor meus ad te veniat.

Non avertas faciem tuam à me : in quacunque die tribulor, inclina ad me aurem tuã.

In quacunque die invocavero te : velociter exaudi me.

Quia defecerunt ſicut fumus dies mei : & oſſa mea ſicut cremium aruerunt.

Percuſſus ſum ùt fænum & aruit cor meum : quia oblitus ſum comedere panem meum.

A voce gemitus mei : adhæſit os meum carni meæ.

Similis factus ſum Pellicano ſolitudinis : factus ſum ſicut Nycticorax in domicillio.

Vigi-

Vigilavi: & factus sum sicut passer solitarius in tecto.

Tota die exprobrabant mihi inimici mei: & qui laudabant me, adversum me jurabant.

Quia cinerem tanquam panem manducabam: & potum meum cum fletu miscebam.

A facie iræ & indignationis tuæ: quia elevans allisisti me.

Dies mei sicut umbra declinaverunt: & ego sicut fænum arui.

Tu autem Domine in æternum permanes: & memoriale tuum in generationem & generationem.

Tu exurgens misereberis

Sion : quia tempus miſerendi ejus, quia venit tempus.

Quoniam placuerunt ſervis tuis lapides ejus : & terræ ejus miſerebuntur :

Et timebunt gentes nomen tuum Domine : & omnes Reges terræ gloriam tuam.

Quia ædificavit Dominus Sion : & videbitur in gloria ſua.

Reſpexit in orationem humilium : & non ſprevit precem eorum.

Scribantur hæc in generatione altera : & populus qui creabitur, laudabit Dominum.

Quia proſpexit de excelſo ſancto ſuo : Dominus de cælo in terram aſpexit.

Ut audiret gemitus compe-

dito-

ditorum: ut ſolveret filios interemptorum.

Ut annuntient in Sion nomen Domini: & laudem ejus in Jeruſalem

In conveniendo populos in unum: & Reges ut ſerviant Domino.

Reſpondit ei in via virtutis ſuæ: paucitatem dierum meorum nuntia mihi.

Nè revoces me in dimidio dierum meorum: in generationem & generationem anni tui.

Initio tu Domine terrã fundâſti: & opera manum tuarũ ſunt cæli.

Ipſi peribunt, tu autem permanes: & omnes ſicut veſtimentum veteraſcent.

Et

Et ſicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur : tu autē ide n ipſe es, & anni tui non deficient.

Filii ſervorum tuorum habitabunt : & ſemen eorum in ſæculum dirigetur.

Gloria Patri & Filio *&c.*

PSALMUS CX.

Confitebor tibi Domine in toto corde meo : in coſilio juſtorum & congregatione.

Magna opera Domini : exquiſita in omnes voluntates ejus.

Confeſſio & magnificentia opus ejus : & juſtitia ejus manet in ſæculum ſæculi

Memoriam fecit mirabilium:

ſuorum miſericors & miſerator Dominus : eſcam de (*Corpore & Sangvine in Sanctiſſimo Sacramento*) dedit timentibus ſe.

Memor erit in ſæculum teſtamenti ſui : virtutem operũ ſuorũ annuntiabit populo ſuo.

Ut det illis hereditatem Gentium : opera manuum ejus veritas & judicium.

Fidelia omnia mandata ejus: confirmata in ſæculum ſæculi : facta in veritate & æquitate.

Redemptionem miſit populo ſuo : mandavit in æternum teſtamentum ſuum.

Sanctum & terribile nomen ejus : initium ſapientiæ timor Domini.

Intellectus bonus omnibus faci-

facientibus eum: laudatio ejus manet in sæculum sæculi.

Gloria Patri & Filio *&c.*

PSALMUS CXV.

Credidi propter quod locutus sum: ego autem humiliatus sum nimis.

Ego dixi in excessu meo: omnis homo mendax.

Quid retribuam Domino: pro omnibus quæ retribuit mihi.

Calicem: *adimpletum Sanguine Salvatoris mei*, accipiam: & nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam coram omni populo ejus: pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus,

O Domine quia ego ſervus tuus: ego ſervus tuus & filius ancillæ tuæ.

Dirupiſti vincula mea: tibi ſacrificabo hoſtiam laudis, & nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam in conſpectu omnis populi e-jus: in atriis domus Domini in medio tui Jeruſalem.

Gloria Patri & Filio & Spi-ritui Sancto, &c.

C O R O N A

De ultima Cœna in qua Chriſtus Dominus inſtituit Sacramentũ Cor-poris & Sanguinis Sui.

Deus in adjutorium meum intende.

Domine ad adjuvandum me feſtina. Glo-

Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto. Sicut erat in principio nunc & ſemper & in ſæcula ſæculorum, Amen.

MYSTERIUM I.

Miſſio duorum Diſcipulorum in civitatem, ad præparandam ultimam Cœnam.

Hìc dicendum eſt unum Pater noſter &c. & decem Ave Maria &c. Gloria Patri &c.

Antiphona.

Acceſſerunt Diſcipuli ad JESUM dicentes: ubi vis, paremus tibi comedere Paſcha? At JESUS dixit: ite ad civitatem ad quemdam, & dicite ei: Magiſter dicit: tempus meum propè eſt, apud te facio Paſcha cum

Discipulis meis. Et fecerunt Discipuli, sicut constituit illis JESUS, & paraverunt Pascha.

Domine exaudi orationem meam.

Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

DOmine JESU Christe verus DEUS & Homo, qui ante inchoationem Passionis Tuæ, misisti Discipulos duos ad præparandam ultimam Cœnam, & invenisti, in omnibus paratum, velocem & alacrum Patremfamilias domûs, da nobis quæsumus, ut ad omnem vocem tuam, & adventum tuum ad nos, semper parati, obedientes & veloces simus. Qui vivis, & regnas cum DEO Patre

in

in unitate Spiritus Sancti DEUS per omnia sæcula sæculorum, Amen.

MYSTERIUM II.

Admonitio Judæ de fraude ejus.

Hic dicendum est unum Pater noster &c. Decem Ave Maria &c. Gloria Patri &c.

Antiphona.

Vespere autem facto, discumbebat cum Discipulis suis, & edentibus illis, dixit: Amen dico vobis, quia unus vestrûm me traditurus est; & contristati valdè cœperunt singuli dicere: Nunquid ego sum Domine? At ipse respondens, ait: Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tra-

tradet. Filius quidem hominis vadit, sicut scriptum est de illo: væ autem homini illi, per quem Filius hominis tradetur: bonum erat illi, si natus non fuisset homo ille.

Domine exaudi orationem meam.

Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

DOmine JESU Christe, qui licèt Judam ingratum Discipulum tuum admoneres de proditione illius, ille tamen admonitioni tuæ non obedivit, da nobis quæsumus, ut omnem admonitionem tuam audiamus, & illam in omnibus occasionibus, ad effectum deducamus.

Qui

Qui vivis, & regnas cum DEO Patre in unitate Spiritus Sancti DEUS per omnia sæcula sæculorum, Amen.

MYSTERIUM III.

Depositio vestimentorum & acceptio linteaminis.

Hìc dicendum est unum Pater noster, &c. & decem Ave Maria &c. Gloria Patri & Filio &c.

Antiphona.

Surgit à Cæna, & ponit vestimenta sua: & cùm accepisset linteum, præcinxit se.

Domine exaudi orationem meam.

Et clamor meus ad te veniat. Oremus.

DOmine JESU Christe, qui

ante lotionem pedum Apostolicorum, deposuisti vestimenta Tua; & præcinxisti Te linteamine; da nobis quæsumus, ut deponamus & nos antiquos habitus, & novis adornemur. Qui vivis, & regnas cum DEO Patre in unitate Spiritus Sancti DEUS per omnia sæcula sæculorum, Amen.

MYSTERIUM IV.

Lotio pedum Apostolicorum.

Hic dicendum est unum Pater noster &c. & decem Ave Maria &c. deinde Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto &c.

Antiphona.

Misit aquam in pelvim, & cœpit lavare pedes Discipulorum, &

extergere linteô, quô erat præcinctus.

Domine exaudi orationem meam.

Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

DOmine JESU Christe, qui ad exemplum profundæ humilitatis, penes ultimam cænam dignatus es lavare pedes Apostolorum, & linteô extergere, da nobis quæsumus, ut etiam nos ipsos exerceamus in humilitate, & conscientias nostras humilibûs lacrymîs quotidie abluamus; Qui vivis, & regnas cum DEO Patre in unitate Spiritus Sancti DEUS per omnia sæcula sæculorũ, Amen.

MY-

MYSTERIUM V.

Actualis Cœna ultima & simul Institutio Corporis & Sanguinis JESU Christi Domini nostri.

Hìc dicendum est unum Pater noster &c. Decem Ave Maria &c. Gloria Patri & Filio &c.

Antiphona.

Cœnantibûs illîs, accepit JESUS panem, & gratias agens fregit, & dedit illis, & dixit: Accipite & manducate: hoc est Corpus meum. Similiter & Calicem, postquàm cœnavit, gratias agens dedit illis, & bibebant de illo omnes, & dixit illis. Hic est Sanguis Novi Testamenti, qui pro multis effundetur.

Do-

Domine exaudi orationem meam.

Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

DOmine JESU Chriſte verus DEUS & Homo, qui inſtitutô Sacramentô Corporis & Sanguinis Tui propriîs manibûs illud diſtribuiſti Diſcipulis tuis, & eôdem illos miſericorditer tractâſti, certificans ſimul, quòd Sanguis Tuus pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum, da nobis quæſumus, ut per hoc myſterium Corporis & Sanguinis Tui, remiſſionem peccatorum conſequamur. Qui vivis, & regnas cum DE Patre in unitate

Spi-

Spiritus Sancti DEUS per omnia sæcula sæculorum, Amen.

Credo in Deum Patrem &c.

OMnipotens sempiterne DEUS, qui dedisti nobis, ut in cultũ & gloriam Sanctissimi Sacramenti Corporis & Sanguinis pretiosissimi, Unigeniti Filii Tui, modernam occupationem absolveremus, da nobis, ut in devotione erga hoc Sacramentum, nunquam desistamus, sed ferventius in eadem devotione progrediamur, & tandem refecti hôc Sacramentô, & confirmati vitam æternam consequamur. Per eundem Dominum nostrum JESUM Christum, qui Tecum vi-

vit,

vit, & regnat in unitate Spiritus sancti DEUS per omnia sæcula sæculorum, Amen.

NONA.

Sive Orationes tempore Nonæ, quæ in insignioribus Civitatibus per totam Octavam Sacratissimi Corporis Christi, consvevit absolvi. Per Nonam autem nihil aliud designatur, tantùm hora nona. Tempore igitur Nonæ sive horæ nonæ, traduntur sequentes Orationes cum Antiphonis.

Antiphona.

Erat autem ferè hora sexta, & tenebræ factæ sunt in universam terram, usq; in horam nonam. Et obscuratus est sol. Et velum Templi scissum est mediũ.

Et

Et clamans voce magna JESUS ait: Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum. Et hæc dicens exſpiravit. Videns autem Centurio quod factum fuerat, glorificavit Deum, dicens: Verè hic Homo juſtus erat Et omnis turba eorum, qui ſimul aderant ad ſpectaculum iſtud, & videbant, quæ fiebant, percutientes pectora ſua revertebantur. Stabant autem noti à longè: & mulieres, quæ ſecutæ eum erant, à Galilæa, hæc videntes.

Oratio.

OMnipotens ſempiterne DEUS, qui voluiſti, ut Filius Tuus Unigenitus, Dominus noſter JESUS Chriſtus, propter

pter redemptionē totius mundi, in Cruce horâ nonî exſpiraret, & moreretur, da nobis quæſumus, ut qui memoriam Paſſionis, Mortis, & Sacramenti Corporis & Sanguinis ejus, horam Nonam devotè recolimus, poſt mortem vitæ præſentis, feliciter in gratia Tua moriamur. Per eundem Dominum noſtrum JESUM Chriſtum, qui Tecum vivit & regnat in unitate Spiritus Sancti DEUS in ſæcula ſæculorum, Amen.

Antiphona.

Petrus autem & Joannes aſcendebant ad Templum ad horam orationis nonam. Et quidam vir qui erat claudus ex utero ma-

tris suæ, bajulabatur: quem ponebant quotidie ad portam Templi, quæ dicitur Speciosa, ut peteret eleemosynam ab introeuntibus in Templum, rogabat autem, ut eleemosynam acciperet. Intuens autem Petrus cum Joanne in eum, dixit: Respice in nos. At ille intendebat in eos, sperans se aliquid accepturum ab eis. Petrus autem dixit: argentum & aurum non est mihi: quod autem habeo, hoc tibi do: In Nomine JESU Christi Nazareni surge, & ambula; Et apprehensa manu ejus dextera, allevavit eum; & protinus consolidatæ sunt bases ejus & plantæ. Et exiliens stetit, & ambulabat: & intravit cum illis in Tem-

Templum, ambulans & exiliens & laudans DEUM.

Oratio.

OMnipotens ſempiterne DEUS, qui per Sanctum Petrum fidelem ſervum Tuum, pro hora nona orationis euntem, quemdam hominem ex utero Matris ſuæ claudum, in Nomine JESU Chriſti Nazareni, Domini & Salvatoris noſtri, miſericorditer ſanare dignatus es, da nobis quæſumus, ut qui pro hora nona orationis, ad adorandum Sanctiſſimũ Sacramentum convenimus, in anima & corpore in Nomine JESU Chriſti ſanari valeamus. Per eundem Dominum noſtrũ

JESUM Christum Filium Tuum &c.

Antiphona.

Vir autem quidam erat in Cæsarea, nomine Cornelius, Centurio cohortis, quæ dicitur Itali*ca, Religiosus ac timens Deum cum omni domo sua, faciens eleemosynas multas plebi, & deprecans Deum semper is vidit, in visu manifestè, quasi horâ diei nonâ, Angelum Dei introeuntem ad se, dicentem sibi: Corneli. At ille intuens in eum, timore correptus, dixit: Quis es Domine? Dixit autem illi: Orationes tuæ, & eleemosynæ tuæ, ascenderunt in memoriam in conspectu Dei. Et nunc mitte*

te viros in Joppen, & accersi Simonem quendam, qui cognominatur Petrus: hic hospitatur apud Simonem quendam coriarium, cujus est domus juxta mare: hic dicet tibi, quid te oporteat facere. Et cùm discessisset Angelus, qui loquebatur illi, vocavit duos domesticos suos, & militem metuentem Dominum, ex his, qui illi parebant. Quibus cùm narrâsset omnia, misit illos in Joppen Actor. Cap. X.

Oratio.

OMnipotens sempiterne DEUS, qui Religioso viro Cornelio, in oratione horâ nonâ perseveranti per Angelum Tuum revelâsti, ut vadat ad

Sanctum Petrum Apostolum famulũ Tuum, & ut ab illo addisceret, quid eum oporteat facere ad salutem, deinde ut ab illo obtineat Sacramentum Baptismi Sancti: da nobis quæsumus, ut qui ad laudem Unigeniti Filii Tui Domini nostri JESU Christi horâ nonâ in oratione in præsentia Sanctissimi Sacramenti perseveramus, efficaciter addiscamus, quid nos oporteat facere ad salutem nostram. Per eundem Dominum nostrũ JESUM Christum, qui Tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti DEUS in sæcula sæculorum, Amen.

DE

DE INDULGENTIIS FESTI *SACRATISSIMI CORPORIS* CHRISTI.

Supremi Paſtores Eccleſiæ DEI deſiderantes allicere populum Chriſtianum, ad venerationem Feſti & totius Octavæ Sacratiſſimi Corporis Chriſti, varias & magnas exindè conceſſerunt Indulgentias, quas ut quilibet poſſit ſcire, hìc illas trado.

1mò. Qui ſervaret jejunium in Vigilia Sacratiſſimi Corporis Chriſti 700. dierum Indulgentiæ.

2dò. Qui adeſſet Veſperis primis, hoc eſt in Vigilia Sa-

cratissimi Corporis Christi 500. dierum.

3tiò. Qui adesset Completorio eadem die, hoc est in eadem Vigilia. 200. dierum.

4tò. Qui adesset in Matutino in Festo Sacratissimi Corporis. 500. dierum.

5tò. Qui adesset Primæ. 200. dierum. Itèm Tertiæ. 200. Itèm Sextæ. 200. Itèm Nonæ. 200. dierum.

6tò. Qui Summo Sacro in Festo Corporis. 500. Qui Processioni solenni 200. Qui secundis Vesperis eadē die. 500. Qui Completorio. 200. dierū.

INDULGENTIÆ

Qualibet die per totam Octavam Corporis Christi.

1mò. Qui aderit Matutino quacunque die Octavæ. 300. dierum. Vesperis. 300. Sacrificio Missæ 300. dierum.

2dò Qui Primæ, Tertiæ, Sextæ & Nonæ, pro qualibet seorsivè ex his & Processione. 30. dierum.

Ex Bullis Summorum Pontificum Urbani IV. Martini V. Eugenii IV.

INDULGENTIÆ

Ad illa verba: *Laudetur Sanctissimum Sacramentum.*

1mò. Quandocunq; quis dixerit hæc verba. *Laudetur Sanctissimum Sacramentum*, lucratur 100. dierum Indulgen. Itèm præstans reverentiam adorando Sanctissimum Sacramentum

si dixerit præfata verba, totidem Indulgen.

2dò. Qui dixerit præfata verba post Confessionem & Sacram Communionem, consequitur Indulgentiam plenariã. Itèm qui recitaverit præfata verba quibûscunq; vicibûs, eliberat animam è purgatorio.

3tiò. Qui habet præfata verba domi scripta, aut in habitatione, lucratur Indulgentiam plenariam. Itèm qui legit eadem verba, vel ignarus literarum, exhibet adorationem Sanctissimo Sacramento, lucratur Indulgentiam plenariã: quod intelligendum est, si confessus sit, & communicaverit,

4tò. Qui ex agonisantibus di-

dixerit ore, aut ſaltim corde, lucratur Indulgentiam plenariam & remiſſionem peccatorum.

Urbanus VI. ad inſtantiam Eminentiſſimi Cardinalis Magalloti ex ſorore nepoti conceſſit.

MODUS

Piè ac devotè accedendi ad Sacram Communionem.

Porrectô ſuprà modô viſitandi Sanctiſſimum Sacramentum, cenſui etiam, & judicavi gratum & perutile eſſe: ſi porrigatur modus, quô dignè menſam Euchariſticam frequentare, ac indulgentias, quæ Communioni Sacramentali ſunt annexæ, conſequi poſſimus.

AC-

ACTUS

Ad Sanctissimum Sacramentum pridiè, aut ipsa die Communionis recitandi.

1. Laudetur Sanctissimum Sacramentum, imprimìs ibi, ubi est à Christo Domino institutum.

2. Laudetur SS. Sacramentum in toto mundo, in omnibus Ecclesiis, præcipuè in illo Templo, in quo hodie comunicaturus sum.

3. Laudetur SS. Sacramentum, præcipuè in illa hostia, quæ mihi continget: & jam excitet in me amorem DEI, ut cum tali præparatione accedam, quantam à me requirit DEUS meus.

4.

4. Laudetur SS. Sacramentum ab omnibus hominibus hodie communicaturis.

5. Laudetur SS. Sacramentum ab omnibus Sacerdotibus hodie ſacrificaturis, omnes illorum intentiones, actus, devotiones, tribue cordi meo benigniſſime JESU.

6. Laudetur SS. Sacramentum ab animabus purgatorii, quæ ſunt hodiernîs Communionibûs, ac Sacrificiîs liberandæ, ac conſolandæ.

7. Laudetur SS. Sacramentum, quod hodierna die per totum orbem ab hominibus agoniæ ac morti proximis, ſuſcipiendum eſt. Quod verò illis ob dolorem, aut languo-

rem

rem ad bonam diſpoſitionem deerit, charitas JESU, quam nobis tribuit in hoc Sacramento, ſuppleat.

8. Laudetur SS. Sacramentum ab omni creatura, in omni loco, ubi jam, & ubi nunquam præſentia ejus glorificata eſt.

9. Ladetur SS. Sacramentũ ab omnibus, qui Illud deſiderant, & in Paganorum, & Hæreticorum ſervitute illud habere nequeunt, confirma illos benigniſſime JESU, ut in fide & gratia Tua perſeverent, & tandem refice illos hôc ſalutarî cibô.

10. Laudetur SS. Sacramentum ab omnibus hominibus, qui Illud in morte deſiderabunt,

bunt, & non poterunt Illo frui: Misericordia DEI, illos in eis effectus præstet, quos præsentia tua præstaret.

O JESU svavissima dulcedo mea, reple cor meum omnium Seraphinorum amore, omniũ Sanctorum præparatione pro adventu tuo exorna, quilibet cordis mei & omnium hominum pulsus Te invocet. Veni, veni dulcedo mea! amor mi JESU! si verò ego obdormiam, vigilabit cor meum in adventum tuum affectu totius Ecclesiæ.

INTENTIO.

Ad Sacram Communionem.

1. Volo communicare, ut gra-

gratias agam pro institutione Sanctissimi Sacramenti: n mine omnis populi, & affectu totius Ecclesiæ.

2. Volo comunicare, ut viva fide profitear, in hac Hostia esse verum DEUM & Hominem, sub speciebus Eucharisticis: panis & vini latenté.

3. Volo communicare, ut DEO meo gratias agã, pro beneficiis mihi quandocunq; datis in Comunione Sacra, pro quibus non egi gratias, vel illa non æstimavi, vel illa expresſè non petii: Tu tamen DEUS meus tribuebas largiſſimè animæ meæ.

4. Volo communicare, ut gratias agam pro omnibus gra-

tiis hominibus devotè communicantibus datis, ad hanc verò Cōmunionem optaſſem habere cor Beatiſſimæ Virginis MARIÆ! cor omnium Sacerdotum, ritè ſacrificantiū, cor præparationis, affectus omnium Sanctorum, qui fuerunt, ſunt, & erunt uſque ad conſummationem mundi.

5. Volo communicare, ut gratias agā pro beneficiis datis omnibus ſacrilegè cōmunicantibus, incipiendo à primo Juda, uſq; ad ultimum futurum ſacrilegū. Pro gratiis inquam, quas illis dabas, monendo illos ad pœnitentiam, & ſinceram Confeſſionem. Ago gra-

tias pro beneficiis, quæ illis parasti, si se ad illa præparâssent

6. Volo communicare, ut Tibi DEO meo gratias agam pro beneficiis datis in Communione Sacra, damnatis præcipuè illis, qui olim justi & virtuosi fuerunt, sed postea spreta bonitate Tua, perierunt in æternum; modò Te illi in inferno blasphemant, & ego Te pro illis ex toto corde meo amo! & colo!

7. Volo communicare, ut Tibi benignissime JESU, in Sanctissimo Sacramento latenti compensem omnes contemptus, blasphemias, conculcationes, & confusiones omnes, quas sustines à veneficis, à Paga-

ganis, ab Hæreticis, & ab omnibus hominibus improbis, & in locum horum, reddo Tibi venerationem, & cultum Angelorum, & hominum ſanctorum, omnisq; creaturæ.

8. Volo communicare, ut in me gratiam, fidem, ſpem, amorem DEI augeam, ut me magìs ad amorem ad obſervationem mandatorum ejus diſponam.

9. Volo communicare, ut animas in Purgatorio detentas adjuvem, & Sanguine JESU ardores illarum extingvam.

10. Volo communicare, ut omnibus in peccato manentibus, impetrem contritionem

cordis, & sinceram pœnitentiam, quæ requiritur ad salutem.

11. Volo communicare, ut mihi & omnibus afflictis impetrem patientiam, & humilitatem Agni hujus, in Sanctissimo Sacramento latentis, ut ejus amore inimicos meos diligam, ejus gratiâ sustineā quidquid in me DEUS benignissime permittes.

12. Volo communicare, ut impetrem Principibus Christianis fortitudinem, contra inimicos Sanctæ Crucis, & Sacrosancti Sepulchri Christi Domini, ut DEUS exaltet Ecclesiam suam, & Paganos, Hæreticos, deprimat, ut & ipsi agnoscant, & devotè suscipiant Te DE-

UM verum, in Sacramento latentem.

13. Volo communicare, ut impetrem mihi, & omnibus victoriam tentationum præcipuè illarum, quibus hominem infernus in ultimo momento vitæ solet opprimere.

14. Volo communicare, ut impetrẽ mihi & omnibus hanc gratiam, ut sine Sanctissimo Sacramento non moriamur, utq; sine hoc Sacro Viatico viam æternitatis non inchoemus. O Cibus noster, piissime JESU, tribue nobis tunc auxilia, & esto Dux in viam æternitatis horridam & ignotam.

15. Volo communicare, ut meas ac totius populi frigidas,

negligentes præparationes, ad Communionem Sacram compensem. Accende ergo cor meum amore Tuo JESU, quem nunc suscepturus sum in Sanctissimo Sacramento, præpara animam meam, prout scis, vis, & potes, nunc & postea ad beatam æternitatem.

CONSIDERATIO

Super illa verba, quibus utitur Sancta Ecclesia ante Communionem.

Domine non sum dignus.

Non sum dignus DEUS meus, quod me sustentat terra, propter scelera mea, & quomodò ad me pessimum venies?

Non

Non ſum dignus benigniſſime JESU hoc aëre, quem ſpiro, quomodò potes eſſe cibus meus?

Non ſum dignus piiſſime JESU oculos meos levare ad Te, & quomodò Tibi uniri potero?

Non ſum dignus amantiſſime JESU, ut deſcendas ad me, quia Tu es pulchritudo increata, ego verò deformior ipſo dæmone, dum plus & gravius deliqui, quàm dæmon. Tu es ipſiſſima bonitas, & ego ejus inimicus?

Non ſum dignus JESU, ut deſcendas ad me, quia Tu es dator vitæ, ego verò latro & prædator propriæ animæ meæ.

Non ſum dignus JESU, ut deſcendas ad me, quia Tu es æterna ſapientia, & ego inſipiens, dum Te & gratiam tuam æſtimare neſcio.

Non ſum dignus digniſſime JESU, ut ad me venias, Tu enim es ignis amoris, & ego ſicut aqua effuſus ſum in iniquitatibus meis; dicis tamen: Ego veniam ad te.

Ergo venies cæleſtis unio ad ſtercus? veniam, ut me agnoſcas, & magis æſtimes.

Ergo venies Agnus DEI in dentes lupi? veniam, quia te adeo amo, ut te transmutare in me velim.

Ergo venies immenſe DEUS

ad carcerem? veniam, ut te ad libertatem filiorum alliciam.

O veni ergo, veni jam dulcissime JESU, DEUS misericordiæ, bonitas enim Tua non habet terminum. Mater DEI da mihi cor tuum, omnes Sancti Electi DEI, date mihi omnia vestra desideria, sed parum est adhuc istud. Date mihi damnati omnes, vestram erga DEUM invidiam, ego illam transmutabo in amorem Seraphicū. Date mihi irrationales creaturæ omnem essentiam vestram, varietatem mutationis, actionis, ego ex his omnibus faciā corda amore DEI æstuantia: ità ut quodlibet, millies magis ac magis quolibet momentô i-

gne amoris DEI ardeat. Nunc verò illa Te charitate cupio ſuſcipere DEUS meus in Sanctiſſimo Sacramento latentem DEUM, teſtẽ cordis mei nunc & in æternum, Amen,

INVITATIO CHRISTI.

O Sancti DEI omnes! O Sancti Angeli! O Diviniſſima Virgo MARIA! nunc ſaltim adeſtẽ & operam veſtram non denegate. Abite ad Sanctiſſimum hoc Sacramentum & Dominum veſtrum, amorem meum, quâ ſcitis & ſoletis reverentiâ, pro me adorate, & ad cordis mei habitaculum invitate.

Adoro Te Dulciſſime JESU adorationibûs Sanctorum An-

gelo-

gelorum, & adorationibûs Beatissimæ Tuæ Matris, & eas in æternum continuo.

Invito Te ad cordis mei domunculam, Tibi desideratam, apertam & pro paupertate mea paratam, veni igitur ô Sanctissimum Sacramentum, veni amor mi JESU, venite merita, gratiæ dona, gloria, beatitudo, veni amor mi JESU ad servum tuum, ad domum tuam. En cor meum arca est, materia est, Tu Architectus es, Omnipotens es. Vis Palatiũ, vis mundissimũ, vis Tê dignũ! ædifica illud, & erit.

Veni mi JESU, veni millies, veni, fuge Dilecte mi, Formose mi, veni unice mi, columbe mi, veni similis capreæ hiñu-

hinuloq; cervorum. Veni ſaliens in montibus tranſiliens colles, veni aſcenſor cælorum, a cenſor Cherubinorum, qui ambulas ſuper pennas ventorum, veni en Te deſidero, veni Te concupiſco, veni Tui amore langveo, veni mi JESU, veni, & deſiderium meum imple, implendo auge, ut plus Te appetat, habeat, Te habere in æternum gaudeat.

Aſpirationes Affectuoſæ ad Chriſtum ſuſcipiendum.

O mi ſvaviſſime JESU anima mea ardet, æſtuat, flameſcit in Te, tota ſe exurit, quanta quanta eſt, tota igneſcit erga Te. O

O amoris dulcedo! ô unicū centrum cordis mei! manducet Te anima mea, & omnia interiora mea, dulcissimo svavitatis tuæ liquore repleantur.

O vita & totum bonum meum! non possum vivere ampliùs sine Te. Desidero Te JESU mi intimè frui, da ut Te comprehendam. Anima mea Corpus Tuum concupiscit, cor meum Tibi uniri desiderat.

Cupio Te svavissime JESU cum tali affectu, amore & honore suscipere, cum tali fide, spe & puritate, sicut Te suscepit Virgo Beatissima. Desidero Te ex corde tractare, & suscipere, cum tali devotione, gratitudine & amore, quemad-

mo-

modùm multi Sancti & devotæ personæ Te desideraverunt in communicando, qui Tibi semper placuerunt.

Jam jam accessurus dic.

O anima mea en Sponsus Tuus! en amor tuus! divertit in pauperculum diversorium cordis tui. En cælestis medicus accedit ad sanandum te, en amicus millies dilectissimus, ditare vult extremam paupertatem tuam! en Sol amabilissimus illuminabit densissimas tenebras tuas! ô pietas! ô bonitas! ô misericordia mea! O utinam mi JESU nunquam Te offendissem! utinam Te semper & unicū amassem! veni ergo bone JE-

JESU! veni Sponſe animæ meæ! veni ad me, & nè ſpernas pauperculam animam meam, veni ô unice amor meus! O JESU dono Tibi cor meum, animam meam, corpus meum, paratum cor meum DEUS, paratum cor meum.

Affectus in ſumptione Corporis Chriſti, mente & corde ardentiſſimo exercendi.

Dominus meus & DEUS meus! quid mihi, & Tibi ô JESU Fili MARIÆ Virginis? ô res mirabilis, manducat Dominum pauper ſervus & humilis. Quis ſum ego ſervus tuus, quoniam reſpexiſti ſuper canem mortuum, ſimilem

lem mei. Jam quod quæſivi, habeo, quod concupivi teneo, DEUM meũ poſſideo, & ſummô bonô gaudeo, cur jam corde non ardeo! Quàm panis hic dulciſſimus eſt, & verè ſvaviſſimus, plus millies gratiſſimus, quàm dicere ſufficimus. O Pater dono Tibi cor JESU, ô JESU dono Tibi cor MARIÆ. Dono Tibi cor meum, licèt indigniſſimum. O JESU oſculor vulnera Tua, oſculor pedes Tuos: O JESU amo Te ex toto corde, utinam non meô, ſed amore ardentiſſimorum Seraphinorum. Ave dulciſſime JESU amor meus! Ave dulcedo cordis mei. Avete Venerabiles manus pro me

Cru-

Cruci affixæ. Ave latus ſpecioſum pro me vulneratum. Ave cor ſvaviſſimum mei JESU. Moriar mi JESU! moriar inter deſideratiſſimos amoris tui amplexus! O JESU gaudeo de omni bono & gloria tua! O JESU omnia peccata mea, & totius mundi commiſſa, quantum poſſum deteſtor, propter Te. O JESU eſto mihi JESUS, & Salvator, nunc & in hora mortis meæ. O Domine totus ſum tuus, eroq; in æternum, ſicut Tu totus meus eſſe voluiſti.

SALUTATIO

Domini JESU poſt Comunionem.

Saluto Te JESU mi corde

T &

& affectu pretiosissimæ Virginis Matris Tuæ, quô Te salutavit, dum Te in visceribus Virgineis concepit, præcipuè saluto Te humilitate, castitate & amore ejus.

Saluto Te JESU illo affectu, quô Te salutavit Divinissima Mater Tua, dum Te prima natum vidit, prima adoravit, & amplexa est.

Saluto Te JESU mi corde & affectu Matris Tuæ, quô Te salutavit, dum Te in Templo invenit, & oro Te per Illius dolorem, quem passa est cum Josepho, quærendo Te: esto nobis solatium in afflictionibus & in hora mortis.

Saluto Te mi JESU affectu

&

& corde Virginis Matris Tuæ, quô Te ſalutavit, Corpus Tuum Sanctiſſimum ſuſcipiendo.

Saluto Te mi JESU affectu Sanctiſſimæ MARIÆ, quô Te ſalutavit, dum Te prima, poſt mortem tuam reſurgentem de ſepulchro glorioſum vidit; Et peto Te per illius gaudium, tribue cordi meo pacem, & ad æternum gaudium admitte me.

Saluto Te JESU mi, corde & affectu Sanctiſſimæ Virginis, quô Te ſalutavit in cælos ſuſcepta, & per illum amorem, quô Illam Tu ſuſcepiſti, & Illa Te ſalutavit, rogo præpara mihi locum in æternitate beata.

Saluto Te JESU amantissime, affectu sanctorum Angelorum, quô Te salutârunt in Nativitate tua; & concede mihi in cælo audire cantus: Gloria in excelsis Deo: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus DEUS Sabbaoth.

Saluto Te mi JESU affectu & simplicitate Pastorum, & da mihi vigilantiam, supra unam oviculam animam meam, tribue mihi simplicitatem cordis illam, quæ placeat Divinis tuis oculis.

Saluto Te mi JESU affectu Simeonis, quô Te excepit in manus suas, à Sanctissima Virgine Matre tua, & tribue mihi vivam fidem cognoscendi Te, esse DEUM, & salutem meam.

Sa-

Saluto Te JESU affectu Sanctorum Trium Regum, quô Te salutârunt in stabulo, & munera plena mysteriis reddiderūt, cum illis reddo Tibi pro auro amorem, quem desidero ardentissimum, pro myrrha reddo Tibi omnium hominum afflictionem, & angustias, quas doce nos Domine patienter ferre propter Te: pro thure reddo Tibi meas & totius Ecclesiæ orationes, ac rogo Te, doce nos orare perfectè.

Saluto Te mi JESU affectu Sanctorum Patrum, quô Te salutaverunt in limbo, cùm ad illos descenderis, ut inde eduxisses eos, & peto Te, educ

etiam animam meam, ex abysso iniquitatum mearum.

Saluto Te mi JESU affectu Sancti Petri, Thomæ & Magdalenæ, & omnium Discipulorum tuorum, dum Te primò post Resurrectionem de sepulchro viderunt, & Tu illos recipiebas in gratiam, & mœrores eorum solabaris, & rogo Te, da mihi gratiam amarè deplorandi sicut Petro mea crimina: Da gratiam viva fide, & amore penetrandi sicut Thomæ, quòd sis Dominus meus, & DEUS meus. Da gratiam, ut sic Te amem, prout amavit Magdalena, da gratiam, ut cum Sanctis Tuis partem habeam in beatitudine æterna.

Sa-

Saluto Te mi JESU affectu hominum, devotè Te suscipientium ab initio, usq; ad consummationem mundi.

Saluto Te mi JESU affectu Sanctorum Angelorum Tuorũ, quô Te salutârunt gloriosè in cælos ascendentem.

Saluto Te affectu omnium Sanctorum, primò ad cælum venientium & peto Te, ut cum illis aliquado salutem Te, cum illis laudem Te, cum illis spectem Te in æternum, Amen.

POSTULATIONES *Post* COMMUNIONEM.

1. Domine per omnẽ Cordis tui bonitatem, da nobis omni-

nibus, ut resipiscamus à malo, & cognoscamus Te, & nosmet ipsos.

2. Domine per omnem bonitatem Cordis tui tribue nobis amorem Tui, super omnia, prout scis, vis, & dignus es.

3. Domine per omnē Cordis tui bonitatem da nobis omnibus, efficacem omnis peccati præcipuè mortalis detestationem execrationemq;

4. Domine per totam Cordis tui bonitatem da mihi gratiosa auxilia eum statum amplectendi, in quo rectæ rationi tuæq; voluntati satisfaciendo bravium æternæ gloriæ, apprehendere merear.

5. Domine per totam Cor-

dis

dis tui bonitatem, tribue suppetias omnibus in proxima ad peccatum occasione constitutis, præcipuè nè amittant ultimam gratiam, aut primam innocentiam, sed omnes vincant impetus, & fortissimè Tibi adhæreant.

6. Domine per totam Cordis tui bonitatem da his omnibus, qui sunt in peccato mortali, efficacem gratiam, ad veram pœnitentiam & contritionem, tribue illis Confessarios tales, qui illos juvent, ùt illorum saluti expedit.

7. Domine per Cordis tui bonitatem largire omnibus operariis salutis humanæ Apostolicum spiritum infatigabilē.

Extolle Sanctam Ecclesiam Catholicam, & omnes Paganorũ Hæreticorumq́; errores annihila, ut tam multæ animæ pretiosissimo tuo Sanguine redemptæ, non pereant in æternum.

8. Domine per omnem Cordis tui bonitatem, largire omnibus Paganis, Judæis, Hæreticis gratiam, ut Te cognoscant, & in vera fide ament.

9. Domine per bonitatem Cordis tui, largire omnibus charitatem, & amarosam memoriam amaræ Passionis tuæ, & dolorem pretiosissimæ Virginis Matris tuæ.

10. Domine per bonitatem Cordis tui, tribue cor tale omnibus, quale habuerunt primi

Christiani, in fide immobile, in unitate perseverans, in charitate tua immutabile.

11. Domine per totam Cordis tui bonitatem, da animabus purgatorii requiem æternam: videant faciem tuam, illæ præcipuè, quæ in vita sua fuerunt devotæ ad Sanctissimũ Sacramentum.

12. Domine per omnẽ Cordis tui bonitatem, largire Ecclesiæ Catholicæ Pastores doctos, & prudentes, & ut ipsi à via æternitatis non aberrent, & oves sibi commissas ad cælum deducant.

13. Domine per Cordis tui bonitatem, da omnibus afflictis solatium, spem desperantibus, per-

perseverantibus in odio concordiam, & unitatem obstinatis, cor contritum da pœnitentibus.

14. Domine per bonitatem Cordis tui, da nobis omnibus timorem terribilis judicii tui, sed timorem filialem, ut non offendamus Te ideò, quòd sis infinita bonitas.

15. Domine per Cordis tui bonitatem, largire nobis ardentem charitatem, & devotionem ad Sanctissimum Sacramentum, quousque vivimus, & in hora mortis ciba nos hôc Viaticô, in vitam æternam.

16. Domine per Cordis tui bonitatem tribue nobis omnibus, ut in hac vita sit ultimus

ci-

cibus noſter, Sanctiſſimum Sacramentum, ultima cogitatio noſtra, de paſſione & morte Salvatoris noſtri, ultimum verbum Sanctiſſimum Nomen JESU, Amen.

LAUS
SS. SACRAMENTI.

Laudetur Sanctiſſimum Sacramentum tot laudibûs, quot in cælo ſtellæ, in igne ſcintillæ, in aëre atomi, in mari guttæ, in terra pulveres: quot in vere flores, æſtate grana, autumno folia, hyeme nives & grandines: quot corporeæ in univerſo ſunt creaturæ, quia dignus es Domine univerſorũ, qui ſub corporeis vini, panisq́; ſpe-

ſpeciebus lates. Verè Tu es Deus abſconditus. Iſaiæ 45.

Laudetur Sanctiſſimum Sacramentum tot laudibûs, quot omni opere exhiberi, quot ore proferri: quot corde omnium hominum excogitari unquam potuêre vel poſſunt, quia dignus es Domine Pater noſter, qui nos cibas, & potas quotidie, cujus redempti ſumus pretioſo Sanguine, quaſi Agni immaculati. 1. Petri 1.

Laudetur Sanctiſſimum Sacramentum tot laudibûs, quot omnes Angeli, ipſaq; Sanctiſſimâ Trinitas ſuâ potentiâ, depromere, ſuâ ſapientiâ concipere, ſua bonitate optare poteſt; quia dignus es Domine

De-

Deus meus, qui mihi donas nō tantùm humanitatem, verùm etiam Divinitatem tuam Dominus meus, & Deus meus, verè laudabilis & gloriosus, & superexaltatus in sæcula. Dan. 3.

PETITIO.

BEnignissime JESU à quo manant in nos omnia bona, à quo omnia à nobis mala arcentur: averte à me omnem vanitatem, mentis elationem, carnis libidinem, oris licentiam, contemptum inopum, avaritiæ ardorem, & quidquid demum Divinæ Majestati Tuæ displicet, ut Tibi DEO meo in veritate serviam, & in corde perfectò laudem & glorificem in sæcula, Amen.

COMMENDATIO SUI.

COmmendo me Tibi ô Bone JESU! intrà mellifluum Cor Tuum abſconde me, nec permitte me in æternum ſeparari à Te. Sis mihi in vita ſolatium: in morte viaticum, in æternitate prœmium. Id rogo Te, pro me, omnibus amicis meis, per lacrymas, ſudorem & ſanguinem tuum, Amẽ.

PETITIO BENEDICTIONIS

BEnedic mihi Domine JESU, cum Patre & Sancto Spiritu, uberemq́; largire gratiã amplectendi ſemper in omnibus, nunc & in hora mortis tuã Sanctiſſimã voluntatẽ, Amẽ.

AC-

ACTUS
Ad SS. SACRAMENTUM
sub tempore Processionis.

Sis benedictus Amantissime JESU in Sacramento Eucharistiæ latens, pro illa processione, quam de cælo fecisti, ab æterno Patre in terram, ut propter salutem nostram fieres homo, ideoq; adoret Te omne genu, cultu Tibi debitô, in cælo & in terra, & sub terra. Sentiat infernus potentiam Tuam, in hac nubecula latentem, atq;, quòd sis verus DEUS & Homo.

Sis benedictus Dulcissime JESU, in Sacramento latens pro illa processione, in qua pretio-

ſiſſima Virgo Mater Tua portavit Te in utero, ad Eliſabeth eundo, & per amorem Matris Tuæ, poſtulo, quoties in hoc Sacramento deſcendes ad cor meum, relinque mihi effectus illos gratiæ Tuæ, quos tunc feciſti domui Zachariæ.

Sis benedictus Dulciſſime JESU, in Sanctiſſimo Sacramento latens, pro illa proceſſione, in qua pretioſiſſima Virgo Mater Tua, portavit Te manibûs ſuîs ad Templum Hieroſolymæ, & in qua obviavit Tibi Simeon, & ſuſcepit Te, in manus proprias, effice, ut ſic Te ſuſcipiamus in Comunione Sacra, ut parati ſimus mori, nihil mortiferi in conſcientia ſentiendo.

Sis benedictus Dulcissime JESU, in Sanctissimo Sacramento abscondite, pro illa processione, in qua portabaris in Egyptum dum cum vita Tua, fugere debueras; tribue nobis gratiam, ut sciamus fugere occasiones peccati, ut sciamus in hac terra nos esse peregrinos, & exules, ad cælumq; aspiremus, ac ad illud frequenter corda nostra convertamus.

Sis benedictus Dulcissime JESU, in Sanctissimo Sacramento abscondite, pro illa processione, quã habuisti eundo Hierosolymam dum Te populus, & innocentes ducebant dicentes: *Benedictus qui venit in nomine Domini*, & nobis innocen-

tiam vitæ & lingvæ in laudem Tuam.

Sis benedictus Dulcissime JESU, in Sanctissimo Sacramento latens, pro illa processione, quando ab uno ædificio ad aliud sicut maximus latro ducebaris, ecce nunc omnes Tuas confusiones compensamus, & cordialiter clamamus.

Tuæ, honor, & gloria,
Sint Passionis, præmia:

Sis benedictus Dulcissime JESU, in Sanctissimo Sacramento latens pro illa processione, quam fecisti portando crucem in montem Calvariæ, ducebaris tunc à quatuor millionibus hominũ pro Paschate illo tempore

pore Hierosolymam (Drex: in Christo passo) congregatorū, quorum aliqui irridebant Te, alii cum admiratione quærebant, quis est per Deum: latro &c. sed nos nunc cum omnibus Angelorum hominumque millionibus Tibi ùt DEO reddimus cultum, reverentiam, & gloriam debitam, ac firmissimè credimus, quòd sis DEUS Omnipotens, Dominus vitæ & necis.

Sis benedictus Benignissime JESU, in Sanctissimo Sacramento abscondite, pro omnibus fatigationibus Tuis, ac viis quas quandocunque fecisti: ad lapideas, carceres, domos, stercora, in hoc Sacro Viatico

ad ægros veniens: veni etiam & ad nos illâ horâ, quando vitæ noſtræ filum in viam æternitatis nos trahet.

Sis benedictus Benigniſſime JESU, in Sacramento abſcondite pro illa ultima proceſſione, quam feciſti ex terra in cælum, ducendo innumeram multitudinem electorum DEI, & trahe poſt Te corda noſtra, ut ibi ſint in æternum, ubi Tu es pretium noſtrum inæſtimabile. Benedic Familiis Chriſtianis, quæ præcepta tua cuſtodiunt, & da gratiam tuam ulteriùs illa obſervandi. Benedic nobis in neceſſitatibus temporalibus, in quantùm ſunt neceſſariæ ad obſequium tuum & ſalutem noſtram. Benedic omnibus, qui in hac proceſſione ſequuntur Te, benedic & omnibus, qui ob juſtam cauſam non poſſunt ire, ſed cor ſuum ad Te converſum habent, da illis gratiã, qua indigent, da nobis omnibus gratiam,

tiam, qui Te modò latentem intuemur in Sanctissimo Sacramento, ut videamus Sanctissimam Faciem Tuam.

CORONA

Ad Sanctissimum Sacramentum hôc modô esse potest.

INTENTIO.

VOlo Deum in Sanctissimo Sacramento latentem per totam vitam laudare fide, adoratione & amore totius Ecclesiæ. Quia verò Sanctissimũ Sacramentum est memoria Passionis Christi. 5. Decades tantùm in hac Corona erunt in memoriam 5. Vulnerum Christi, ante quamlibet decadem dic Pater noster &c. & in parvulis globulis locò Ave Maria: Laudetur Sanctissimum Sacramentum, quæ verba quia sunt brevia, consideratè proferenda sunt, ut autem major sit attentio, addi hæc possunt.

In Prima Decade.

Laudetur Sanctissimum Sacramentum ab omnibus Sanctis in cœlo regnantibus.

In Secunda Decade.

Laudetur Sanctissimum Sacramentum ab omnibus Sanctis in terra manentibus.

In Tertia Decade.

Laudetur Sanctissimum Sacramentum ab omnibus hominibus, qui illud ignorant, aut non æstimant.

In Quarta Decade.

Laudetur Sanctissimum Sacramentum ab omnibus damnatis.

In Quinta Decade.

Laudetur Sanctissimum Sacramentum ab omni irrationali creatura.

Et post quamlibet Decadem adde Gloria Patri, & Filio, &c. in fine Credo &c.

FINIS.

Laudetur Sanctissimum Sacramentum, nunc, semper, & per infinita sæcula sæculorum. Amen.